

TRACTATUS

DE

SACROSANCTO SACRIFICIO EUCHARISTICO



INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TRACTATUS
DE
SANCTISSIMA EUCHARISTIA
PARS II.

DE SACROSANCTO SACRIFICIO EUCHARISTICO

(3, Quaest. LXXXIII)

AUCTORE
FR. ALEXIO MARIA LÉPICIER
ORD. SERV. B. M. V.
PRIORE GENERALI
OLIM IN PONTIF. COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
SACRAE THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSORE

Pie pellicane Iesu Domine,
Me immundum, munda tuo Sanguine,
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere,



PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA CASSETTE, 10

Hoc opus, iuxta leges, mense Iulio fuit depositum.

ROMAE - EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

BEATO

IACOBO · PHILIPPO · BERTONI

CONFESSORI · ORDINIS · SERVORVM · B. M. V.

QVI · LACRYMARVM · DONO · REFVLSIT

DVM · PLACATIONIS · HOSTIAM

QVOTIDIE · DEO

OFFERRET

O. D. C.

PRAEFATIO

Sacrosanctum Eucharisticum sacrificium, quod simul augustissimum novae Legis sacramentum existit, Ecclesia semper specialibus existimationis ac reverentiae signis prosecuta est, prout innumera testantur religionis atque pietatis monumenta; ex quibus colligere fas est, divinum hoc mysterium ab ea iugiter habitum fuisse tamquam totius fidei christianae compendiosam professionem, catholici cultus centrum atque vitae spiritualis alimentum.

Equidem in hoc augusto sacramento, primo quidem veteris Testamenti figurae, multiplici sacrificiorum varietate distinctae, ostenduntur adimpletae, atque solemnissima vaticinia de cultu Deo gratissimo atque divina maiestate digno ubique terrarum exhibendo, ad effectum perfectissime traducuntur; dein totius oeconomiae redemptionis nostrae memoria revocatur. Siquidem viva semper ob oculos nostros in hoc mysterio obversatur imago tum nostrae conditionis, tum actionum quibus Salvator noster nos a morte eruit: nimirum docemur quanta fuerit humano generi ruina per originale peccatum inflicta, quae quidem curari non potuit, nisi per admirabile illud commercium quo Filius Dei carnem nostram sibi in unitate personae univit, in qua idem ille erga nos homines doctoris, sacerdotis, regis ac pastoris muneribus functus est: quae quidem officia in sacrosancto missae sacrificio continuat, cum ibi summam doctrinae suae subministrat, rursusque ipse se Dominus, sacerdotum ministerio, Deo Patri iugiter immolat; ibi quoque nostras suscipit adorationes, denique seipsum nobis cibum et potum praebet. Quinimmo illiusmet glorificationis dotes quodammodo ibidem

commemorantur, cum sub panis et vini speciebus impassibilem se atque immortalem, ac quodammodo spiritualem exhibeat. Unde rite protestatur Ecclesia: *Quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur.*

At non solum habetur in missae sacrificio mysteriorum fidei nostrae compendium, verum etiam in eo tota catholici cultus ratio ad caput vivis picta coloribus quodammodo revocatur. Est enim augustum hoc mysterium arctum vinculum quo non solum Ecclesiae militantis membra ad invicem in unum conveniunt, verum etiam Sancti in caelo iam regnantes et iustorum animae, erratorum poenam in purgatorio luentes, nobiscum charitatis compagine vinciuntur. Offertur enim Deo vivificum hoc sacrificium pro viventibus Ecclesiae membris, per universum orbem dispersis; offertur pro iustis ex hoc mundo egressis, sive iam illi regnent cum Christo, sive adhuc purgatione indigeant: illis quidem in gratiarum actionem pro victoria quam de mundo reportaverunt, his vero in propitiationem pro suis peccatis, ut citius immortalis vitae praemium consequantur. Quinimmo, sicuti almum hoc Altaris sacramentum ratio est et quodammodo finis ceterorum sacramentorum, ita etiam mensura existit omnis hierarchicae dignitatis, cum culmen ecclesiasticorum graduum sit ipsamet potestas consecrandi et offerendi sacrosanctum corpus et sanguinem Domini nostri. Denique, explicatio vitae Ecclesiae suam sortitur in hoc sacrificio expressam formam, introductis etiam in hunc finem pulchris poeseos aut musices artibus, atque adhibitis pro ornatu ministrorum pretiosis varii coloris vestibus, sive ad gaudium, sive ad luctum, sive ad poenitentiam, ad spem aut supplicationem rite significanda; hoc tandem sacrificio celebratur martyrum charitas, confessorum fides, virginum puritas: quapropter missa rite appellata est totius cultus catholici centrum.

Per almum denique Eucharistiae sacrificium, spiritua-

lis hominis vita mirabiliter alitur et fovetur, cum per illud homini peccatori Deus propitius reddatur atque inducatur ut ei gratiam conversionis impertiat; tum per hanc salvificam hostiam gratiam obtinemus et auxilia in tempore opportuno ad resistendum diabolo, necnon ad perseverandum in bono, medium quoque habemus quo debitum Deo latriae cultum exhibeamus, et condignas rependamus. gratias. Hinc sacrificium eucharisticum est velut anima Ecclesiae, ratio totius oeconomiae sacramentorum, fons vitae gratiae. Si enim sacramentorum dispensatio est veluti fluvius almus, cuius aquae salubres irrorant Ecclesiam, illamque sanctificant, refrigerant et foecundant, id debetur mirae virtuti sacri fontis sacrificii eucharistici, qui nunquam desinit scaturire super altare et sanguinem influere vivificum in omnia membra, in omnes venas corporis mystici Christi. Rite etiam missa dicitur sol Ecclesiae, cuius lumen quotidie splendet in mundo, cuius calore omnis rationabilis creatura progreditur ad plenam suae aeternae transfigurationis consummationem: *Et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius* [1]. Et certam spem habemus, almum hoc sacrificium, a quo tot nobis bona proveniunt, nunquam, quoadusque perdurabit praesens saeculum, desiturum esse, cuius indeficientiae figura exstat in hac Eliae ad viduam sareptanam promissione [2]: *Hydria farinae non deficiat, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terrae.*

Quae cum ita sint, iam patet quanta cura, quanta sedulitate, deceat sacerdotem eorum studio incumbere, quae almum hoc sacrificium respiciunt, quatenus rite cognita illius excellentia atque mirabili virtute, pietas in eius corde erga tantum mysterium accendatur, atque ardor illius fructus in seipsum atque in alios derivandi excite-

1. Ps. XVIII, 7. — 2. 3, Reg., XVII, 14.

tur. Quod quidem fieri perfecte nequit, nisi doctrina de sacrificio eucharistico ex purissimo sacrae theologiae scholasticae fonte hauriatur, iuxta principia a sancto Thoma passim tradita. Licet enim Angelicus Doctor rem hanc ex professo ea amplitudine non tradiderit, qua in aliis fidei nostrae pertractandis usus est, nihilosecius ex iis quae de hoc augusto Sacramento sive in Summa Theologica sive in minoribus Operibus conscripsit, tutissima erui possunt principia, super quae fundetur tota huius tractatus structura, ex amplissimo traditionis thesauro plenius aedificanda.

Et haec quidem est ratio quam in hoc exarando opere secuti sumus: videlicet, prae oculis semper habita doctrina Angelici Doctoris ad almum hoc sacrificium sive directe, sive indirecte pertinente, haudquaquam omisimus, quin ecclesiasticam lustraremus traditionem, inde a priscis Patrum tractatibus usque ad recentioris aevi scripta, quae illuminata probatorum auctorum pietas ubertim peperit. Res equidem singularis atque omni admiratione digna est, quanta aemulatione peritiores rerum ecclesiasticarum scriptores aevo recentiori decertarint in doctis laudibus extollendo atque congruis dilucidationibus exornando almo hoc sacrificio: de qua re argumentum felix atque iucundum desumere fas est, in hoc tempore, quo multorum iam charitas refriguit, haudquaquam tamen deesse animas, quae singulare hoc Dei donum cognoscunt et magni faciunt, atque amore amorem rependere conantur. Utinam crescant semper in cordibus nostris existimatio, amor et devotio erga hoc Sacrosanctum Eucharisticum sacrificium, singulare pignus amoris Christi in nos, cui salus, honor, virtus quoque sit et benedictio.

Romae, in Collegio S. Alexii Falconerii, 30 Maii 1916, in festo B. Iacobi Philippi Bertoni, Confessoris Ordinis Servorum B. M. V.

TRACTATUS

DE

SANCTISSIMA EUCHARISTIA

PARS II

DE

SACROSANCTO SACRIFICIO EUCHARISTICO



INDEX RERUM

PROOEMIUM

QUAESTIO PRIMA.

(2 2ae, Quaest. LXXXV)

DE SACRIFICIO IN GENERE.

Prologus

Paginae

ART. I. — *Utrum offerre sacrificium Deo sit de lege naturae.*

ART. II. — *Utrum soli Deo sit sacrificium offerendum.*

ART. III. — *Utrum oblatio sacrificii sit specialis actus virtutis.*

QUAESTIO SECUNDA.

DE VERITATE SACRIFICII EUCHARISTICI

Prologus

Paginae

ART. II. — *Utrum Eucharistia sit verum ac proprium novae Legis sacrificium.*

ART. III. — *Utrum sacrificium eucharisticum sit ipsummet Crucis sacrificium.*

Paginae

ART. IV. — *Utrum essentia sacrificii eucharistici consistat in consecratione.*

ART. V. — *Utrum in eucharistico sacrificio habeatur vera et proprie dicta immolatio.*

Art. IV. — *Utrum Christus sit res principaliter oblata in hoc sacrificio.*

QUAESTIO TERTIA

DE EFFECTIBUS SACRIFICII EUCHARISTICI

Prologus

Paginae

ART. I. — *Utrum missa sit sacrificium latreuticum*

ART. II. — *Utrum missae sacrificium sit eucharisticum.*

ART. III. — *Utrum missae sacrificium sit propitiatorium.*

Paginae

Art. IV. — *Utrum sacrificium eucharisticum sit impetratorium*

Art. V. — *Utrum valor missae sit infinitus.*

Art. VI. — *Utrum adsistens pluribus missis eodem tempore celebratis, omnium fructum percipere possit.*

QUAESTIO QUARTA

DE IIS PRO QUIBUS SACRIFICIUM MISSAE OFFERRI POSSIT

Prologus

Art. I. — *Utrum sacrificium missae offerri debeat pro aliis ab ipso sacerdote sacrificante.*

Art. II. — *Utrum liceat sacerdoti celebranti stipendium pro missa accipere.*

Paginae

Art. III. — *Utrum sacrificii eucharistici applicatio pro aliquibus specialibus personis rite fieri possit.*

Art. IV. — *Utrum sacrificium missae offerri possit pro iis qui sunt extra Ecclesiam.*

Art. V. — *Utrum sacrificium eucharisticum offerri possit pro defunctis in purgatorio existentibus.*

Paginae

ART. I. — *Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis huius sacrificii.*

ART. II — *Utrum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo et vasis sacris.*



TRACTATUS

DE

SACROSANCTO SACRIFICIO EUCHARISTICO

PROOEMIUM IN SECUNDAM PARTEM

Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adiuvat, defunctis requiem praestat, et sese omnium bonorum participem efficit [1].

1. — Excellentia sacrificii eucharistici. — Acturi de augusto illo sacrificio, quod Christus Iesus, ante suam passionem, pro totius mundi salute instituit ac celebravit, nullo aptiori possumus uti exordio, quam verba recitando quibus Concilium Tridentinum huius saluberrimi ac Deo summe grati sacrificii rationem exponit. *Is igitur Deus, et Dominus noster,* ait Concilium [2], *etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum, repraesenta-*

1. Imit. Christi, l. IV, c. 5. — 2. Sess. XXII, cap. I.

retur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret; atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit, per haec verba: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM: *uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit.*

2. — Differentia inter sacramentum et sacrificium. — Porro, ne quis putet Eucharistiam, eo quod inter novae Legis sacramenta adnumeratur, non posse simul sacrificium esse, sciendum est illam duabus de causis a Domino nostro fuisse institutam: primo, ut esset caeleste animae nostrae alimentum, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus; secundo, ut esset in Ecclesia perpetuum sacrificium, quo peccata nostra expiarentur ac divina nobis misericordia conciliaretur [1].

At licet eadem res simul sit sacramentum et sacrificium, differt tamen unum ab altero multipliciter. Scilicet, sacramentum consecratione perficitur, vis autem sacrificii in eo est ut offeratur et immoletur; unde Eucharistia, dum in pixide continetur vel ad aegrotum defertur, sacramenti, non sacrificii, rationem habet. Ulterius, sacrificii oblatio, ex parte hominis, quodcumque demum illud sacrificium sit, ad ius naturae pertinet; sacramentum autem pendet a positiva Christi institutione. Praeterea, proprius effectus sacramenti Eucharistiae est ut augeat meritum per gratiae sanctificantis collationem; sacrificio vero eucharistico alii quoque sunt effectus proprii, nempe

1. Cat. Rom., P. II, C. IV, n. 70.

testificatio supremae maiestatis Dei, gratiarum actio pro acceptis beneficiis, vis satisfactiva pro admissis culpis, necnon singularis virtus divinos favores conciliandi, ut infra clarius demonstrabitur, ubi de effectibus sacrificii ex professo tractabitur. Demum, licet regulariter loquendo, sacramentum Eucharistiae a ministro ad hoc deputato impertiri debeat, interdum tamen concessum videtur quod fideles ipsi sese communicarent: at vero sacrificium offerri non potest, nisi a persona publica, id est ad hoc speciali ritu consecrata et deputata.

3. — **Figurae sacrificii eucharistici.** — Cum sacrificii oblatio ad ipsum ius naturae pertineat, mirum non est si, inde a generis humani primordiis, locum obtinuisse legatur. Porro multiplicis generis, atque pro populorum ac locorum varietate valde inter se diversa constat fuisse huiusmodi sacrificia, inter quae tamen sola illa digna sunt quae recenseantur, de quibus specialis in Scriptura mentio fit, quae quidem Deo grata extiterunt, simulque figura fuerunt sacrificii eucharistici, ad quod omnia illa sacrificia, sicut ad proprium finem, respectum habuerunt.

Est autem sacrificii quadruplex finis: *primo,* agnoscere supremum Dei dominium in omnes res, ad quod pertinet holocaustum; *secundo,* placare iram Dei, ob hominis peccatum accensam, ad quod pertinet hostia pro peccato; *tertio,* Deo pro beneficiis acceptis gratias agere, quo respicit hostia pacifica; *quarto,* nova beneficia impetrare, ad quod eadem pacifica hostia ordinabatur [1].

Igitur, quantum ad primum respectum, occurrit illud sacrificium quod Abel Deo, utpote supremo omnium Domino, obtulit, de quo legitur [2]: *Factum est autem, post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terrae mu-*

1. 1 2ae, Quaest. CII, art. 3. Opportune notabitur tertium et quartum sacrificii finem ad idem reduci: quandoquidem gratiarum actio ordinatur ad novorum beneficiorum collationem. — 2. Gen., IV, 3-5.

nera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel et ad munera eius. Ad Cain vero et ad munera illius non respexit. Cui rei alludens S. Paulus ait [1]: *Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo:* id est, ut ait S. Chrysostomus [2], *ex optimis optima* [3]. Igitur, extitit sacrificium Abel figura sacrificii eucharistici, in hoc quod per istud, supremum Dei dominium agnoscimus; insuper nihil Deo acceptius esse potest, quam salutaris hostia, quae a sacerdote offertur in missa.

Secundo, figura sacrificii eucharistici, secundum quod ordinatur ad placandam iustam iram Dei, habetur in illa oblatione quam, altari extructo, Noe, absoluto iam diluvio, fecisse legitur [4]: *Aedificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae:* quod sibivult, pergratam Deo illam extitisse oblationem, more Scripturae, quo *bonus odor* ad rem gratam et acceptam significandam usurpatur, sicut in hoc S. Pauli [5]: *Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo* [6].

Tertia, eaque praeclarissima, eucharistici sacrificii figura, et quidem in quantum ordinatur tum ad gratias Deo pro beneficiis agendas, tum ad nova a divina liberalitate beneficia impetranda, invenitur in illa panis et vini oblatione quam fecit Melchisedech, rex Salem, utpote sacerdos, pro relata de quatuor regibus ab Abram victoria [7]: *At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,* etc. Nimirum, plurimam habet cum hac figura analogiam sa-

1. HEBR., XI, 4. — 2. Homil. XVIII in c. IV GEN. t. I, p. 251. — 3. De differentia sacrificiorum Cain et Abel, vide S. Augustini verba ad calcem huius quaestionis. — 4. GEN., VIII, 20, 21. — 5. PHIL., IV, 18. — 6. Cf. ACT., X, 4; EPH., V, 2. — 7. GEN., XIV, 18.

crificium eucharisticum: primo enim, idem est rex et sacerdos ille qui sacrificium offert; secundo, Melchisedech genealogia praetermittitur, ut innuatur Christum, novae Legis sacerdotem, secundum divinitatem, neque principium, neque finem dierum habere; tertio maxime, quemadmodum Melchisedech obtulit panem et vinum, significantia ecclesiasticam unitatem, ita in nova Lege verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub specie panis et vini: et hac de causa S. Paulus illam Melchisedech oblationem formaliter agnoscit tamquam insignem figuram sacerdotii novae Legis [1].

Quarta demum Eucharistici sacrificii figura, in quantum ad impetranda beneficia, simulque ad gratias Deo pro acceptis favoribus reddendas ordinatur, habetur in agno qui quotidie, vespere et mane, offerebatur [2]; ex quo significabatur quod oblatio agni veri, id est Christi, esset sacrificium consummativum omnium aliorum; unde dicitur [3]: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [4]. Praecipua tamen huius sacrificii figura fuit agnus paschalis, qui, ut notat Angelicus [5], immolabatur ab universa multitudine filiorum Israel, in memoriam illius beneficii quo Angelus percutiens primogenita Aegypti, pertransivit domos Iudaeorum, quorum fores linitae essent sanguine agni [6]; et virtute huius beneficii, transivit populus Mare Rubrum [7]. Sicut ergo agnus ille figuralis immolabatur a filiis Israel ut populus liberaretur ab Angelo percutiente, et ut transirent mare rubrum liberati de servitute Aegypti, ita Christus est occisus a filiis Israel, per cuius sanguinem populus Dei liberatur a diaboli impugnatione et servitute peccati per baptismum, quasi per mare rubrum [8].

1. Hebr., VII, VIII. Cf. 3. Quaest. XX, art. 6. — 2. Num., XXVIII. — 3. Io., I, 29. — 4. 3, Quaest. XXII, art. 3, ad 3m. — 5. Comment. in 1 Cor., cap. V, lect. II, in med. — 6. Exod., XII. — 7, Ibid., XIV. — 8. De agno, ut typo sacrificii Crucis et sacrificii eucharistici,

Non est tamen praetermittenda, inter eucharistici sacrificii figuras, insignis illa oblatio quam Abraham Deo, in filii sui Isaac praecepta immolatione, perfecit [1]: quae etsi ad veri sacrificii rationem non pertigerit, Angelo realem mactationem prohibente, gratissima tamen Deo extitit: unde in Canone Missae una cum sacrificiis Abel et Melchisedech specialiter celebratur: *Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech.*

Denique, opportune monebitur eucharisticum sacrificium ita excellentia et valore in infinitum praecellere sacrificiis Legis veteris, ut nullum horum illud adaequate repraesentet: unde Eucharistia, ut ait Concilium Tridentinum [1], *illa est quae per varias sacrificiorum, naturae et Legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.*

4. — Nomina sacrificii eucharistici. — Porro, si quis varia nomina, quibus in christiana traditione sacrificium eucharisticum consuevit designari, ad certos ordines reducere velit, facile deprehendet horum nominum alia esse *communia*, alia *propria*, alia *propriissima.*

Et quidem, ad primum ordinem pertinent nomina illa, quibus Eucharistia prout est sacramentum, communiter designatur: videlicet, *sacramentum, eulogia, fractio panis, coena dominica, synaxis, solemnia, supplicatio, communio, memoriale, collecta,* σύναξις, μυσταγωγία, ἀγαθόν, etc. — Ad secundum ordinem spectant no-

---

egregie scripsit Ioseph Blanc, S. M., in op. L'Agneau de Dieu. Entretiens sur quelques textes des livres de saint Jean. Rome, 1913. Vide specialiter P. I, cc. VII, l'*Agneau immolé,* et c. VIII, l'*Agneau eucharistique,* pp. 87, seqq.

1. Gen., XXII. — 2. Sess. XXII, cap. 1.

mina aliquam sacrificii vel oblationis notionem continentia: verbi gratia, *oblatio, actio*, θυσία, προσφορά, etc. — Demum propriissimum nomen est apud Graecos *liturgia*, λειτουργία, quod est *ministerium* vel *officium*, quod communitatis nomine praestatur; aut *hierurgia*, ἱερουργία, *sacrum ministerium:* nimirum, hoc sacrificium, in nova Lege, formaliter pertinet ad illam divini cultus praestationem, cui non privati tantum homines, sed omnes societates adstringuntur. Apud Latinos autem, nullo in Ecclesia latina nomine hoc sacrificium frequentius fuit designatum, quam hoc nomine *missa*. Incassum tamen niteretur quis nomen hoc in antiquitate reperire: cum S. Ambrosius primus esse videatur qui illud usurpat. *Sequenti die*, ait [1], *erat autem dominica..., missam facere coepi. Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quemdam* [2].

5. — **Missae nomen.** — Sciendum tamen non unam esse, penes omnes scriptores, huius nominis *missa* rationem. Alii siquidem huius nominis originem ex hebraeo *missach*, quod in Deuteronomio oblationem voluntariam designat, ortum esse volunt; quod tamen minus probabile est, cum, ut observat Bellarminus [3], periti linguae hebraicae, ut Origenes, Hieronymus, ea voce nunquam usi sint. — Conveniunt fere omnes nomen hoc derivari a *mittendo:* et quidem, secundum aliquos, *quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo* [4]; secundum alios vero, quia a fidelibus mittebantur seu conferebantur munera ad sacram coenam faciendam.

At verior sententia est, nomen hoc, utique a *mittendo*


1. Epist. XX, t. II, p. 853. — 2. Cf. Card. Bona, Rer. liturgic., l. I, c. 1-3. — 3. De Euchar. l. V, c. 1. — 4. S. Thom., 3, Quaest. LXXXIII, art. 4, ad 9m.

derivatum, primitus adhibitum fuisse ad significandam missionem, seu dimissionem sive catechumenorum, sive ipsorum fidelium. Catechumenorum quidem, qui post sermonem dimittebantur, manentibus dumtaxat fidelibus, quibus solum permittebatur ipsi interesse sacrificio, unde venit nomen *missa*, id est dimissio *catechumenorum*, quod nomen extensum est ad designandam totam illam liturgiae partem cui permittebantur interesse, scilicet introitum, lectiones veteris et novi Testamenti, et sermonem episcopi [1]. Fidelium pariter missa, qua primitus significata est eorum dimissio in fine totius liturgiae, postmodum extensa est ad designandum totum sacrificii ordinem; imo latiori sensu, nomen hoc aliquando usurpatum est ad designanda officia nocturna et diurna, in festis Sanctorum, per eucharistici sacrificii celebrationem terminari solita [2].

6. — Ordo tractatus. — Ut autem plena de hoc summi momenti argumento tractatio habeatur, necesse erit sacrificium eucharisticum considerare tum in se (I-IV), tum in ritu ad illud rite celebrandum instituto (V). Rursus, in se consideratum, eucharisticum sacrificium inspiciendum veniet tum absolute (I-III), tum relate ad eos pro quibus offerri potest (IV). Denique de sacrificio eucharistico in se et absolute considerato duplex institui debebit investigatio, secundum ordinem quaestionum, an et quid sit, et propter quid sit; quaerendo, primum, tum generaliter an detur et quid sit sacrificium (I), tum spe-

1. *Missa tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur, clamante levita: Si quis catechumenus remansit, exeat foras; et inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* S. Isidorus, l. VI. Etymolog., c. XIX, n. 4. — 2. Cf. Gulielmus Durandus, Rationale div. officiorum, l. IV, c. I, nn. 45, seqq. Neapoli, 1859, p. 147. Benedictus XIV, De Sacrificio missae, l. II, c. I, n. 5. Cf. etiam Nic. Gihr, Le saint sacrifice de la Messe, t. II, p. 5. Traduct. de L. Th. Moccand, Paris, Lethielleux.

cialiter, an detur et quid revera sit sacrificium tale, quod eucharisticum appellatur (II); et secundo, ad quosnam effectus producendos huiusmodi sacrificium ordinetur (III). — Esset utique etiam agendum de ministro sacrificii eucharistici; at quoniam de eo ex professo actum est in prima huius tractatus parte [1], ideo haec quaestio hic praetermittitur.



Hinc in hac secunda parte tractatus de sanctissimo Eucharistiae Sacramento quaeruntur quinque.

Primo. De sacrificio in genere. (2 2ae, Quaest. LXXXV).

Secundo. De veritate sacrificii eucharistici.

Tertio. De effectibus sacrificii eucharistici.

Quarto. De iis pro quibus sacrificium eucharisticum offerri potest.

Quinto. De ritu sacrificii eucharistici. (3, Quaest. LXXXIII).

1. Tract. DE Ss.MA EUCHARISTIA, quaest. LXXXII, pp. 511. seqq.

QUAESTIO PRIMA

(2 2^{ae}, Quaest. LXXXV)

DE SACRIFICIO IN GENERE

PROLOGUS

1. — Praestantia virtutis religionis. — Cum virtus sit quae habentem perficit et opus eius bonum reddit, nulli dubium esse potest religionem, quae respicit debitum Deo, tanquam universorum fontali principio atque altissimo rectori et supremo domino, reddendum, et quae mentem ad illum cultum debite ordinat, esse virtutem, imo inter virtutes morales praestantissimam, cum magis accedat ad ultimum finem quam ceterae virtutes morales. Enimvero religionis obiectum est reverentiam Deo exhibere, in quantum, ut diximus, Deus est omnium rerum primus conditor et gubernator; seu ratione singularis excellentiae, qua res omnes infinita dignitate transcendit.

Attamen distinguitur religio a theologicis virtutibus, quia religio Deum pro immediato obiecto, sicut theologicae virtutes, non habet, sed illum habet ut finem, ad quem actus reverentiae dirigit. Duo enim in religione considerantur: primum, quod ipsa cultum Deo affert, et huiusmodi cultus se habet ad religionem per modum obiecti specificantis virtutem, quemadmodum sacrificiorum oblationes; secundum vero est Deus cui cultus impenditur: at actus quibus Deus colitur ipsum Deum non attingunt, sicut actus fidei et charitatis Deum immediate attingunt. Quapropter Deus comparatur ad religionem, non quasi obiectum, sed sicut finis, quia actum reverentiae religio

in Deum finaliter dirigit. Unde religio non est virtus theologica, cuius obiectum est Deus qui est ultimus finis, sed virtus moralis, cuius obiectum est circa ea quae sunt ad finem, et quidem, ut dictum est, religio ceteris virtutibus moralibus praestantior est [1].


2. — Actus religionis. — Ulterius vero considerandum est, religioni esse actus duplicis ordinis: scilicet, elicitos, utpote qui ab ipsa virtute religionis proficiscuntur, ut sunt orare, adorare, offerre, sacrificare, etc.; et imperatos, quales fiunt a virtutibus quibus ipsa religio velut principalior imperat, quos proinde actus ipsa religio immediate non elicit, sed fieri iubet, quemadmodum ait S. Iacobus [2]: *Religio munda apud Deum haec est: visitare pupillos et viduas*, etc.; nam visitare pupillos et viduas est actus elicitus a misericordia, imperatur autem a virtute religionis, quia virtus ad quam pertinet finis imperat virtutibus ad quas pertinent ea quae sunt ad finem, sicut charitas, quae respicit Deum immediate ut finem ultimum, imperat omnibus virtutibus moralibus. Sed cultum praestare Deo, aut ei honorem ac servitutem exhibere ob illius singularem excellentiam, hoc ab ipsa virtute religionis elicitur, atque ad eam proprie pertinet.

Actuum vero a virtute religionis elicitorum alii sunt interni, ut devotio et oratio, et isti sunt principaliores, alii vero externi, quasi secundarii, ut adoratio corporalis, oblationes, laus oris, sacrificia, etc. Huius ratio est quia mens nostra, ad hoc ut Deo coniungatur, quod est finis virtutis religionis, sensibilium manuductione indiget, cum invisibilia Dei per visibilia cognoscantur [3]. Propterea in cultu divino uti oportet quibusdam exterioribus ac corporalibus actibus, quatenus eis tanquam signis anima ad spirituales

1. 2 2ae, Quaest. LXXXI, art. 2, 5, 6. — 2. C. I, 27. — 3. Rom., I, 20.

actus excitetur, cuiusmodi praecise est sacrificium, de quo impraesentiarum disserendum assumimus [1].

3. — Ordo quaestionis. — Porro cum praesentis quaestionis intentio sit investigare generaliter an et quid sit actus ille exterior religionis ad Dei cultum et reverentiam ordinatus, qui sacrificium vocatur, de qua re non semper penes omnes rectae inveniuntur notiones, ad plenam huius quaesiti solutionem, necesse erit de sacrificio inquirere, primo, an sit (1), et secundo, propter quid sit (2-4), et quidem secundum differentiam causarum, finalis (2), formalis (3) et efficientis (4).



Quapropter in hac quaestione quatuor quaerentur.

Primo. Utrum offerre sacrificium Deo sit de lege naturae.

Secundo. Utrum soli Deo sit sacrificium offerendum.

Tertio. Utrum oblatio sacrificii sit specialis actus virtutis.

Quarto. Utrum omnes teneantur ad sacrificia offerenda.

1. 2 2ae, Quaest. LXXXI, art. 1, 7. Huic cohaerenter orat Deum Ecclesia ut illi nos *corpore placeamus et mente.* Missale rom. Feria II post dom. IV Quadrages.; ut illi *corpore famulemur et mente,* Orat. contra persec. Eccl. in Secreta.

Articulus I. — *Utrum offerre sacrificium Deo sit de lege naturae.*

1. — Quid sibi velit aliquid esse de iure naturae. — Ad intelligentiam huius quaesiti, primo loco advertendum est, aliquid dici posse de iure naturae dupliciter: uno modo, tum quoad substantiam rei, tum quoad determinationem: sic de iure naturae est ut parentes diligant filios, eis de vitae necessitatibus providendo; alio modo, quoad substantiam rei quidem, at non quoad determinationem: sic in punitione delictorum, ipsa quidem punitio est de iure naturae, at determinatae poenae quibus malefactores puniuntur, sunt ex iure positivo institutae. Porro, quae priori modo sunt de iure naturae, communia sunt apud omnes, non autem quae sunt de iure naturae secundo modo; scilicet intendimus hic probare oblationem quidem sacrificii esse de iure naturae, ita tamen ut determinatio sacrificiorum sit ex institutione divina vel humana: unde in hac re varietas invenitur, nam quidam leguntur obtulisse in sacrificium panem et vinum, sicut de Melchisedech legitur [1], quidam vero leguntur obtulisse haec, quidam autem illa animalia [2].

Praeterea, quod offerre Deo sacrificium dicitur esse de iure naturae, non ita accipiendum est, ait Sylvius [3], quasi sit primum legis naturae praeceptum, ideoque vel per se notum, vel omnibus absque difficultate cognoscibile, qualis est, in speculativis, veritas de Dei existentia, et in practicis hominem debere sequi dictamen conscientiae. Igitur, praeceptum de offerendo Deo sacrificio pertinet ad secundaria legis naturae praecepta, quorum aliqua subinde ignorari possunt. — Hoc posito, sit

1. Gen., XIV, 18. — 2. Ad 1m. — 3. Comment. in h. l.

2. — PROP. — **Oblatio sacrificii pertinet ad ius naturale.**

Suadetur. — Quod apud omnes nationes semper fuit in more, naturale est. Atqui oblatio sacrificii semper fuit in more apud omnes nationes, ut constat ex historiis tam sacris, quam profanis. Ergo oblatio sacrificii pertinet ad ius naturale. — Hinc est quod pagani non propterea sunt reprehensi, quod sacrificarent, sed quod daemonibus sacrificia offerrent, iuxta illud S. Augustini [1]: *Qui christianas litteras utriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum, quod construant templa, et instituant sacerdotia, et faciant sacrificia, sed quod haec idolis et daemoniis exhibeant.* Huc quoque facit quod in Concilio Tridentino legimus [2], scilicet hominum natura *exigi visibile sacrificium.*

Ex crudelissimis sacrificiis, quae in humanis victimis perfici apud barbaras nationes consueverunt et adhuc consuescunt, accipi potest huius veritatis confirmatio, necnon ex ipso nomine *hostia,* quod primitus adhibitum est ad designandos domitos hostes, qui diis tanquam victimae offerebantur, iuxta illud Ovidii:

Hostibus a domitis hostia nomen habet [3].

3. — **Prob. rat. theol.** — Quod homo, in signum debitae subiectionis et honoris erga Deum, quibusdam sensibilibus rebus utatur, illas Deo offerens, pertinet ad ius naturale. Atqui offerre sacrificium est uti aliquibus sensibilibus rebus, quas homo offert Deo in signum debitae subiectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt, et hoc homo facit in

1. Epist. CII, Lib. ad Deogratias, quaest. 3, n. 18. t. II, col. 279. — 2. Sess. XXII, cap. 1. — 3. I Fast., 335. Legi de hac re potest IOSEPH DE MAISTRE, Eclaircissements sur les sacrifices. Chap. II, *Des sacrifices humains.*

recognitionem supremi Dei dominii. Ergo offerre Deo sacrificium pertinet ad ius naturale.

Duo in maiori dicuntur: *primo,* quod offerre aliquid Deo in signum debitae subiectionis, sit homini naturale; *secundo,* quod offerre Deo sensibilia sit homini naturale. — Et primum quidem ita ostenditur. Naturalis ratio homini dictat quod alicui enti superiori subdatur, propter defectus quos in seipso sentit, in quibus ab aliquo ente superiori indiget adiuvari et dirigi: et quidquid sit illud ens superius, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Ergo naturale est homini honorem et reverentiam illi enti superiori exhibere, eique aliquid offerre in signum honoris et reverentiae. — Alterum pariter facile patescit. Conveniens modus est homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, eo quod homo ex sensibilibus cognitionem accipit. Ergo de iure naturae est quod homo Deo sacrificium offerat. *In nullum autem nomen religionis,* ait S. Augustinus [1], *seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

Instituta sunt sensibilia sacrificia, ait valde opportune Angelicus [2], *quae homo Deo offert, non propter hoc quod Deus eis indigeat, sed ut repraesentetur homini quod seipsum et omnia sua debet referre in ipsum, sicut in finem, et sicut in Creatorem et Gubernatorem et Dominum universorum... Propter hoc non est mirari, si haeretici, qui corporis nostri Deum esse auctorem negant, haec corporalia obsequia Deo exhibita reprehendant. In quo etiam apparet quod se homines esse non meminerunt, dum sensibilium sibi repraesentationem necessariam non vident ad interiorem cognitionem et affectionem. Nam experimento apparet quod*

1. L. XIX contra Faustum, c. XI, t. VIII, col. 319. — 2. L. III, Contra Gent., c. 119.

per corporales actus anima excitatur ad aliquam cogitationem, vel affectionem [1].

4. — Scholion. — Dicimus sacrificii oblationem ad ius naturae pertinere, non autem determinationem eiusdem: cui simile est quod in lingua humana invenitur, cum sacrificia in quadam significantia offerantur, ut ait S. Augustinus [2]; quandoquidem, significare conceptus suos est homini naturale, sed determinatio signorum est secundum humanum placitum [3]. Et ex hoc deducitur ratio cur non eadem semper et ab omnibus sacrificia fuerint oblata. Nam, ante legem mosaicam, sacrificia determinari solebant institutione humana; unde Cain *de fructibus terrae* munera Deo obtulit, Abel *de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum* [4], Noe vero *de cunctis pecoribus et volucribus mundis* [5]. Data vero lege mosaica, sacrificiorum formam Deus ipse instituit, licet etiam ante id tempus suam Deus aliquando significaverit voluntatem: divinae enim institutionis fuit quod Melchisedech panem et vinum sacrificaverit, ut colligitur ex Psalmo CIX [6], ubi in hebraico legitur: *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem* MEUM עַל־דִּבְרָתִי *Melchisedech.*

1. *L'homme*, ait Nicolaus Gihr, *est le chef et le maître de la création matérielle et privée de liberté: elle doit, elle aussi, payer son tribut au Créateur. Mais l'homme ne peut la faire servir à la glorification et à la louange de son Créateur que par le culte extérieur. Ainsi utilisée par la vertu de religion, la nature sensible acquiert une consécration plus élevée, son cercle d'opérations s'étend. La terre donne ses trésors et ses métaux les plus nobles pour la construction et l'ornement des temples; la mer livre ses perles; et le printemps, sa parure de fleurs.* LE SAINT SACRIFICE DE LA MESSE, ed. cit., p. 13. Antea merito dixerat: *Lorsque le culte extérieur est négligé, le culte intérieur dépérit.* — 2. L. X de Div. Dei, cc. 5, 6, 19. t. VII, col. 241, 243, 255. Notanda sunt S. Doctoris verba, dicentis sacrificia quae Deo exhibemus, signa esse officiorum purae mentis et bonae voluntatis, *sicut verba sonantia signa sunt rerum.* — 3. S. Thom., hic, ad 3m. — 4. GEN., IV, 3, 4. — 5. Ibid., VIII, 20. — 6. C. V, 4.

5. — Sacerdos debet a Deo deputari. — At, vel quando sacrificii determinatio est ex hominibus, agendo de illo sacrificio quod pro societate offertur, constat illud nonnisi publica auctoritate posse institui; ideoque persona quae offert sacrificium, utpote ad publicum munus destinata, debet vel a Deo, vel ab eius vicem gerente deputari; unde S. Paulus ait [1]: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

6. — Solvuntur difficultates. — I. Ea quae sunt iuris naturalis omnes iusti servaverunt. Atqui nec de Adam, nec de Isaac legitur quod sacrificium obtulerint. Ergo oblatio sacrificii non est de iure naturae.

Resp. *Conc. mai. Nego min. Nego conseq. et conseq.* — Nimirum, non est ambigendum quin Adam et Isaac, sicut et alii iusti, sacrificium Deo obtulerint, secundum sui temporis congruentiam, ut patet per S. Gregorium, qui dicit [2]: *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.* Non autem de omnibus iustorum sacrificiis fit mentio in Scriptura, sed solum de illis circa quae aliquid speciale accidit. Atqui potest esse ratio quare Adam non legitur sacrificium obtulisse, scilicet ne, quia in ipso notatur origo peccati, simul etiam in eo origo sanctificationis signaretur; Isaac vero significavit Christum, in quantum ipse oblatus est in sacrificium, unde non oportebat ut significaretur, quasi sacrificium offerens [3]. Signanter autem potest animadverti quod, si Adam docuit filios suos offerendum esse sacrificium Deo [4], si et ipse Cain, homo agrestis, sacrificavit, dubitari nequit quin et ipse-

1. HEBR., V, 4. — 2. L. IV Moral., c. 2. — 3. Hic, ad 2m. — 4. Cf. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCIV, art. 3, n. 3, p. 162.

met Adam sacrificaverit, cum eductus fuit a delicto suo [1]. *Cum* (patriarchae), ait Eusebius [2], ... *quasi divino Spiritu illustrati viderent, magno sibi opus esse obsequio ad suorum humanorum delictorum purgationem, pretium pro salute sua ei, qui vitam atque animam praebuisset, se debere putabant. Sed cum nihil praestantius atque pretiosius anima sua haberent quod dicarent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, pro sua anima sacrificia suae vitae vicaria,* ἀντίψυχα, *offerentes.*

II. De Hebraeis, post epocam patriarcharum et ante Legis mosaicae promulgationem, non legitur quod sacrificia obtulerint. Ergo.

Resp. Licet hoc expresse non legatur, tamen ex ipso sacro textu inferri potest populum hebraicum, in Aegypto commorantem, sacrificium revera obtulisse, et si non publice et solemniter, saltem intra familiarum ambitum, ut eruitur ex loco ubi Moyses et Aaron referunt mandatum Dei Pharaoni latum [3]: *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Ex quo deducitur sacrificii notionem tunc penes Hebraeos viguisse; nec ex eo quod longe a propria patria exulaverant sequitur eos consuetudines proprias deseruisse, imo potius arctius propriis inhaeserunt institutis. Quod autem Hebraei tunc revera sacrificium obtulerint, eruitur ex eo quod etsi Moyses nondum pro populo suo sacrificandi licentiam extra Aegyptum obtinuisset, tamen populus pascha celebravit [4]: paschatis autem ritus vere sacrificalis erat. Ceterum, cum Hebraei sibi commissa divinitus haberent promissa, ideo sacrificii offerendi traditionem amittere non potuerunt, licet haec forsan, ob angustias in quibus iacebant, aliquantisper offuscari potuerit atque erroribus admisceri.

1. Sap., X, 2. — 2. Demonstr. Evangel., l. I, c. 10. — 3. Exod., V, 1. — 4. Exod., XII, 21-30.

III. Sicut universaliter olim recepta fuit idololatria, ita etiam sacrificii oblatio. Atqui illa fuit instinctus naturae corruptae. Ergo et mos sacrificium offerendi.

Resp. *Nego mai. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Nimirum, idololatria solum fuit recepta penes infideles malosque homines: usus autem sacrificii ab omnibus universaliter: et ut ex S. Augustino modo audivimus, non hoc in ritibus paganorum culpatur quod *faciant sacrificia, sed quod haec idolis et daemoniis exhibeant* [1]. — *Per hoc tantum interest,* ait iterum Doctor Hipponensis [2], *inter sacrificia paganorum et Hebraeorum, quantum inter imitationem errantem et praefigurationem praenuntiantem. Sicut autem non ideo contemnenda vel detestanda est virginitas sanctimonialium, quia et vestales virgines fuerunt; sic non ideo reprehendenda sacrificia Patrum, quia sunt et sacrificia gentium: quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quae cui voveatur atque reddatur; sic inter sacrificia paganorum et Hebraeorum multum distat, eo ipso, quod hoc solum distat, quae cui sint immolata et oblata: illa scilicet superbae impietati daemoniorum idipsum sibi ob hoc arrogantium quo haberentur dii, quia divinus honor est sacrificium; illa vero uni Deo, ut ei offerretur similitudo promittens veritatem sacrificii, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis et sanguinis Christi.*

1. Supra, n. 2. Apte GIHR. recensita quorumdam theologorum sententia, dicentium sacrificium visibile non quidem naturae iure exigi, sed tantum esse rem naturae conformem, concludit: *Il est incontestable que le culte extérieur ne saurait être complet sans le sacrifice.* P. 20. n. 2. — Sacrificii necessitatem pulchre demonstrat MONSABRÉ, in op. *Exposition du dogme catholique,* conf. LXX, 1re partie. Legi etiam potest op. LE SACRIFICE, par l'Abbé Buathier, apud Delhomme et Briguet. Paris. — 2. L. XX Contra Faust., c. 21, t. VIII, col. 348.

Ceterum, universaliter recolendum est falsas religiones, quae quidem omnes unica vera religione recentiores sunt, huius aliud non esse, nisi foedas corruptelas [1].

Articulus II. — *Utrum soli Deo sit sacrificium offerendum.*

1. — Ratio articuli. — De Deo hic agitur, prout nomen istud supponit pro habente divinitatem essentialiter, et sic univoce. Interdum enim usurpatur nomen istud analogice, scilicet secundum quod divinitatis participatio vel vestigium in aliquo reperitur: quo modo sancti homines dicuntur effici divinae naturae consortes [2], et de eisdem dicitur [3]: *Ego dixi, dii estis;* Angeli etiam *Filii Dei* nominantur [4]. At istis divinitatis nomen communicatur, non per aequalitatem, sed per participationem: hic autem Deus ille dicitur, cuius essentia est esse Deum [5].

2. — PROP. — Soli Deo sacrificium est offerendum.

Probatur ex Sacra Scriptura. — Imprimis, haec veritas clare eruitur ex hoc loco [6]: *Qui immolat diis occidetur, praeterquam Domino soli:* ubi hebraice, loco *occidetur,* legitur יָחֳרָם, id est, *erit anathema;* quo non solum mortis poena pro reo, sed etiam bonorum confiscatio aut destructio claudebatur; ex quo apparet quam leviter ratiocinentur qui negant Ecclesiae potestatem poenas corporales decernendi.

Confirmatur eo quod videmus vel ipsos sanctos homines noluisse sibi sacrificium exhiberi, quasi uni Deo id debeatur: quod quidem in SS. Paulo et Barnaba apparet,

1. Infra, Quaest. II, art. 5, n. recitabuntur pulcherrima verba Leonis XIII, necessitatem sacrificii vindicantis. — 2. 2 Pet., I, 4. — 3. Ps. LXXXI, 6. — 4. Iob, I, 8. — 5. Ad 1m. Cfr. tr. de Deo uno, P. I, Quaest. XIII, art. 10, p. 541. — 6. Exod., XXII, 20.

quibus cum Lycaonii, miraculis quae per ipsos facta fuerant commoti, vellent tanquam diis immolare, ipsi, scissis vestimentis, confitentes et persuadentes se deos non esse, ista sibi fieri vetuerunt [1].

3. — Traditio. — Porro, hanc esse communem animi conceptionem apud omnes, ait Sylvius [2], etiam eos qui verum Deum ignorant, quod videlicet sacrificium sit opus tam eximium, ut non fiat nisi in honorem eius quem credimus supremum Dominum rerum omnium, testatur S. Augustinus, cum ait [3]: *Sacrificium certe, nullus hominum est qui audeat dicere deberi nisi Deo. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et rursus, cum dixisset illo cultu, qui graece *latria* dicitur, nos nec colere, nec colendum censere nisi unum Deum, addit, *ad hunc cultum pertinere oblationem sacrificii* [4]; ideoque in errorem labitur atque adeo per sanam doctrinam corripitur, quisquis vel martyri, vel animae sanctae, vel angelo sacrificium offert.

Ulterius, respondens ad calumnias Fausti et aliorum, qui dicebant martyres a nobis coli tamquam deos, quia in eorum memoriis sacrificamus, ait [5]: *Quis antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit*. Quocirca, templa et altaria Sanctis erigi dicimus, non quia eis in huiusmodi templis vel altaribus sacrificandum sit, sed quatenus soli Deo in eorum memoriam sacrificium offertur, ut iterum explicat idem S. Augustinus [6]: *Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sa-*

1. ACT., XIV, 11, seqq. Cf. S. AUGUST., l. XX contra Faust., c. 21. t. VIII, col. 347. — 2. Hoc loco. — 3. L. X de Civ. Dei, cap. 4, t. VII, col. 241. — 4. L. XX Contra Fâust., c. 21., loc. prox. cit. — 5. Ibid. — 6. L. VIII de Civ. Dei, c. 27, col. 218.

cerdotia, sacra et sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Unde, addit ille, sacerdos non dicit: *Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum Memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis Angelis caelesti honore sociavit, ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum... adhortemur* [1].

4. — **Ratio theol.** — Exteriores actus religionis ad interiores ordinantur: etenim exteriora sacrificia significant interius spirituale sacrificium, quo anima offert seipsam Deo, secundum illud [2]: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Igitur illi soli sunt exteriora sacrificia offerenda, cui offertur interius spirituale sacrificium. — Et confirmatur, quia *orantes atque laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus*, ut ait S. Augustinus [3]. Atqui soli Deo debemus offerre sacrificium interius spirituale, qui solus est nostrum primum principium et ultimus finis; quandoquidem solus Deus, secundum veram fidem, est creator animarum nostrarum; pariter, in solo Deo animae nostrae beatitudo consistit: ergo soli Deo debemus sacrificium spirituale offerre. Quapropter ei soli etiam debentur sacrificia exteriora. *Ipsius enim latriae,* ait S. Bonaventura [4], *est sacrificium offerre Deo; et hoc sacrificium soli Deo debetur,... et latria dicit cultum soli Deo debitum.*

5. — **Qua ratione sacrificium ad latriam pertineat.** — Quomodo autem ad latriam pertineat sacrificium, accurate explicat Angelicus. *Inter alia quae ad latriam*

1. Ad 3m. — 2. Ps. L., 19. — 3. L. X de Civ. Dei, c. 19, col. 255. — 4. In 3, Dist. IX, art. II, q. II, t. III, p. 215, n. 2.

pertinent, ait [1], *singulare videtur esse sacrificium: nam genuflexiones, prostrationes, et alia huiusmodi honoris indicia etiam hominibus exhiberi possunt, licet alia intentione quam Deo: sacrificium autem nullus offerendum censuit alicui, nisi quia eum Deum aestimavit, aut aestimare se finxit. Exterius autem sacrificium repraesentativum est interioris veri sacrificii, secundum quod mens humana seipsam Deo offert; offert autem se mens nostra Deo, quasi suae creationis principio, quasi suae operationis auctori, quasi suae beatitudinis fini; quae quidem conveniunt soli summo rerum principio. Ostensum est enim supra* [2], *quod animae rationalis causa creatrix solus Deus summus est: ipse enim solus voluntatem hominis potest inclinare ad quodcumque voluerit, ut supra ostensum est* [3]. *Patet etiam ex superioribus, quod in eius solius fruitione, ultima hominis consistit felicitas. Soli igitur summo Deo homo sacrificium et latriae cultum offerre debet, non autem substantiis quibuscumque spiritualibus... Hinc est quod dicitur* [4]: QUI IMMOLAT DIIS OCCIDETUR, PRAETERQUAM DOMINO SOLI.

6. — **Confirmatur** hac S. Augustini animadversione. Nisi dii falsi seu daemones nossent templum, sacerdotem, sacrificium, et alia quaecumque ad haec pertinentia, soli Deo vero deberi, nunquam haec sibi a cultoribus suis, quos decipiunt, expetiissent: *non enim cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent* [5]. — Huc pariter refertur gloriosus martyrum chorus, qui maluerunt vel acerbissimam subire mortem, quam in gentilium sacrificiis participando commaculari.

Quocirca concludendum est cum eodem Doctore An-

1. L. III contra Gent., c. 120. — 2. Lib. II, c. 87. — 3. C. 89 et 90. — 4. Exod., XXII, 20. — 5. Ad 2m. S. AUGUSTIN., loco cit.; et lib. ad Deogratias, loc. cit.

gelico [1]: *Quia ergo indebitum est quod latriae cultus alteri exhibeatur quam primo rerum principio, ad indebita autem incitare non est nisi rationalis creaturae male dispositae, manifestum est quod ad praedictas indebitas culturas instinctu daemonum homines provocati fuerunt, qui se etiam loco Dei hominibus colendos exhibuerunt, divinum appetentes honorem. Hinc est quod dicitur...* [2]: QUAE IMMOLANT GENTES, DAEMONIIS IMMOLANT, ET NON DEO.

ARTICULUS III. — *Utrum oblatio sacrificii sit specialis actus virtutis.*

1. — Sacrificium late et stricte sumptum. — Sacrificium, generaliter acceptum, definitur a S. Augustino [3]: *Omne opus quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo,* scilicet est opus quod in Dei reverentiam ordinatur.

Atqui actuum qui in Dei reverentiam ordinantur duo sunt genera: *primo,* aliqui sunt actus qui aliunde laudem habere possunt, etiamsi in divinam reverentiam non ordinentur, sicut cum quis largitur eleemosynam pauperi, vel corpus suum secundum regulam rationis nutrit et gubernat, vel quando aliquid fortiter agit, patienter sustinet, remittit iniurias, et alia huiusmodi. Nimirum, haec si non fiant propter Dei reverentiam, habent tamen aliunde laudem: largiens quippe sua pauperi, etiamsi hoc non ordinet ad Deum, laudatur ut liberalis vel ut misericors; et fortiter agens, laudem habet ex fortitudine, et sic de aliis; sed ex hoc quod talia opera ordinantur ulterius in Dei reverentiam, habent etiam ex hoc laudem specialem. Igitur sacrificium late sumptum respicit praedicta opera.

1. Ibid. — 2. 1 Cor., X, 20. — 3. L. X de Civ. Dei, c. 6, col. 242.

Secundo, aliud est genus operum, quae videlicet habent laudem solum ex hoc quod in divinam reverentiam fiunt, ut erat antiquitus occisio et concrematio animalium, quae non habebat laudem, nisi ex hoc quod ad honorem Dei occidebantur; aut etiam panis oblatio cum elevatione, fractione vel etiam consumptione; aut libatio sanguinis et vini, etc.; et huiusmodi proprie appellantur sacrificia. — Hoc posito, dicimus

2. — PROP. — **Oblatio sacrificii,** α) **sive late,** β) **sive stricte sumpti, est actus virtutis, scilicet religionis.**

Prob. 1ª Pars. — Quando actus unius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, participat quodammodo speciem eius: sic, quando quis furatur ut fornicetur, actus furandi pertinet quodammodo ad fornicationem. Equidem, fornicari est actus per se ad luxuriae vitium pertinens; furtum autem, secundum se, est actus alterius vitii, scilicet iniustitiae, sed secundario ad fornicationem pertinet, quatenus ordinatur ad fornicationis actum. Igitur, actus aliarum virtutum, secundum quos consideratur ratio sacrificii late accepti, secundum se quidem pertinent ad proprias species illarum virtutum, puta, ieiunare ad temperantiam, largiri eleemosynam ad liberalitatem, et sic de aliis; sed quatenus fiunt in Dei reverentiam, seu quatenus pertinent ad sacrificium late acceptum, ad religionem pertinent, quia sic ad finem religionis ordinantur.

Sciendum igitur quod omne opus de genere suo bonum potest dupliciter considerari: uno modo, secundum se, alio modo, ut ordinatur in Dei reverentiam. Et quidem, si consideretur secundum se, non est actus specialis determinatae virtutis, sed ad diversas virtutes pertinet, secundum ipsam operis naturam; si vero consideretur ut fit ad Dei reverentiam, tunc est actus determinatae virtutis, scilicet religionis [1].

1. Ad 1m.

3. — **Prob. 2ª Pars.** — Sacrificium proprie dicitur illud quod solum ordinatur in recognitionen et reverentiam Dei, tamquam Creatoris et supremi omnium Domini. Atqui actus qui habet laudem solum ex hoc quod in Dei reverentiam ordinatur, necesse est ut sit specialis actus, pertinens ad determinatam virtutem, quae est religio, cuius praecise proprium est ordinare actus in Dei reverentiam.

Quae cum ita sint, dicendum est prioris generis actus ad religionem pertinere *imperative,* secundi generis vero, *elicitive*: hi enim eliciuntur a virtute religionis, illi vero imperantur.

4. — **Sacrificia improprie dicta.** — Ex hisce deduci potest, non omne opus bonum esse sacrificium proprie dictum: nam et Sacra Scriptura interdum distinguit sacrificium a bonis operibus, ut in hoc loco[1]: *Melior est obedientia quam victimae;* et rursus[2]: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis;* pariter[3]: *Misericordiam volui et non sacrificium.*

Ad quod plenius intelligendum dicimus, diversos virtutum actus in tantum dici sacrificium, scilicet improprie, in quantum propter Deum fiunt, cum sacrificium sit res sacra vel divina, et in quantum pro statu naturae per peccatum originale corruptae, quamdam suiipsius mortificationem includunt: ad similes enim actus perficiendos, sensitiva hominis natura subdi debet voluntate gratia informata.

Porro multipliciter potest homo seipsum abnegare, et quidem ob Dei amorem. Potest enim hoc facere, primo, per perfectam de erratis contritionem, quo sensu dicitur[4]: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* secundo, per orationem, devotionem aut divinae laudis praedicatio-

1. 1 Reg., XV, 22. — 2. Ps. L, 18. — 3. Os., VI, 6. — 4. Ps. IV, 19.

nem, iuxta illud [1]: *Immola Deo sacrificium laudis;* tertio, per beneficentiam et bonorum distributionem, secundum illud [2]: *Odor suavitatis, hostia accepta;* quarto, per patientem sufferentiam malorum huius vitae, iuxta illud [3]: *Quasi holocausti hostiam accepit illos;* quinto, per vitae amissionem in martyrio; sexto, per suiipsius in statu religionis perpetuam consecrationem, de qua ait S. Thomas [4], quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo. — In hisce autem omnibus casibus, nomina *sacerdos, sacerdotium* et *hostia* accipiuntur per analogiam, iuxta illud S. Pauli [5]: *Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.*

5. — Quaenam requirantur ad sacrificium proprie dictum. — Igitur, ad sacrificium proprie dictum, prout formaliter distinguitur a sacrificio improprie seu per analogiam dicto, aliquid speciale requiritur α) ex parte actus; β) ex parte offerentis; γ) ex parte mutationis inductae in materiam: de quibus omnibus nunc erit ordinatim disserendum.

6. — Quinam actus constituant sacrificium proprie dictum. — Ex parte actus, requiritur ad sacrificium proprie dictum, ut dictum est, ut ex hoc solo laudem habeat, quod in Dei reverentiam ordinatur, et ut circa rem sensibilem fiat. Quocirca ad proprie dictum sacrificium non pertinent actus aliarum virtutum, puta actus devotionis et orationis, quibus homo se suaque Deo consecrat:

1. Ps. XLIX, 14. — 2. Phil., IV, 18. — 3. Sap., III, 6. *Notre immolation peut s'opérer dans l'acuité des souffrances, dans le secret d'une épreuve inconnue des hommes, dans la générosité qui nous fait pratiquer des mortifications de notre choix, dans la banalité apparente d'une vie commune invariablement conforme au devoir.* JOSEPH BLANC S. M., *L'Agneau de Dieu*, p. 104. — 4. 2 2ae, Quaest. CLXXXVI, art. 7. — 5. 1 Pet., II, 5. cf. tr. DE SS.MO EUCHARISTIAE SACRAMENTO, P. I, p. 519

quinimmo huiusmodi interiores actus sunt id ad quod sacrificium exterius ordinatur tanquam ad finem, ideoque constituunt principale sacrificium. Pariter, actus quibus bona corporis Deo offerimus, ut sunt actus abstinentiae seu continentiae aut mortificationis vel etiam martyrii, non sunt nisi sacrificium improprie dictum, quia iam ad specialem virtutem pertinent: unde sensu improprio dicitur [1]: *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Similiter, actus illi, quibus bona nostra communicamus proximis propter Deum, per charitatem, misericordiam aut liberalitatem, si quando sacrificia aut hostiae dicuntur, hoc non est nisi sensu improprio; quo modo legimus [2]: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Igitur sacrificium proprie dictum habetur solum in illis actibus quibus Deo immediate offerimus res nostras, et quidem res sensibiles, cum sacrificium proprie dictum aptum natum sit ducere hominem in rem spiritualem, tamquam in illius proprium finem [3].

7. — **Ad quemnam pertineat offerre sacrificium.** — Ulterius, ad offerendum sacrificium, non quilibet invenitur idoneus, sed solus sacerdos proprie sic dictus, qui videlicet sit ex hominibus assumptus et pro hominibus constitutus [4], seu tanquam persona publica deputatus. Unde quod interdum christiani sacerdotes vocentur [5], hoc est impropria locutio, quemadmodum improprium est sacrificium quod offerunt, scilicet spirituales hostiae seu opera virtutum, quatenus referuntur ad honorem Dei ut Auctoris et Domini universalis: dicuntur isti spirituales hostias offerre, ad differentiam carnalium sacrificiorum quae in Lege veteri offerebantur. Et ulterius adest differentia inter sacerdotes proprie dictos et sacerdotes late acce-

1. Rom., XII, 1. — 2. Hebr., XIII, 16. — 3. Ad 2m. — 4. Hebr., V, 1. — 5. 1 Pet., II, 5, 9; Apoc., I, 6.

ptos, quod isti, ut spirituales hostias offerant, boni esse debent; sacerdotes vero proprie dicti offerunt sacrificia, sive sint boni, sive mali.

Cum proprie dicto sacrificio et proprie dicto sacerdotio connectitur etiam electio specialis loci, extra quem sacrificium huiusmodi offerre non licet, qui locus altare dicitur: etsi hoc nomen, *altare,* sensu translato et per analogiam interdum adhibeatur ad designandum humanum cor, in quo, tamquam in altari, homo se Deo totaliter mancipat, nihil sui sibi relinquens, et seipsum hostiam humilitatis et laudis eidem concremans, quemadmodum in altari materiali cruentae victimae Deo mactantur [1].

8. — Quaenam mutatio induci debeat in materia. — Sciendum autem sacrificium non esse idem ac oblationem. Sacrificium enim proprie dicitur, quando circa rem Deo oblatam aliquid fit: sicut cum animalia occiduntur et comburuntur, cum panis frangitur et conmeditur et benedicitur, cum vinum effunditur, etc.; et hoc ipsum nomen sonat: nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa illam rem fiat, sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit: unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur. Pariter, primitiae oblationes erant, quia Deo offerebantur [2]; non autem erant sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat. Decimae vero, proprie loquendo, non sunt sacrificia neque oblationes, quia non immediate Deo, sed ministris divini cultus exhibentur [3].

Ratio autem cur ad sacrificium requiritur aliqua realis mutatio, est quia sic clarius et expressius protestamur

1. Cf. S. Augustin., l. X, de Civ. Dei, c. 3. — 2. DEUT., XXVI. — 3. Ad 3m.

omnia a Deo, tanquam supremo Domino dependere, eumque plenissimam omnium rerum habere dispositionem.

Notat autem opportune Sylvius[1], non sufficere quod ista immutatio fiat actione aliqua civili et extra tempus vel locum sacrificii, sed fieri debet in ipso sacrificio. Si enim quis offerat Deo panem, vinum aut carnes, et ea postmodum consumantur a sacerdotibus vel pauperibus, non dicentur sacrificata, sed oblata, et similiter si offeratur aurum quod mutetur per artificem. Hoc patet ex sacrificiis Iudaeorum, ubi cum offerebatur hostia pro peccato, ipsa quidem tota comburebatur; at quia non tota comburebatur actione sacra, scilicet super altare, ubi fiebat oblatio sacrificii, sed divisa in partes et extra castra, ubi non erat locus offerendorum sacrificiorum, ideo non accipiebat rationem holocausti, sed manebat illa species quae dicitur hostia pro peccato.

9. — Quaestio I. — *Quaenam mutatio censenda sit necessaria ad rationem sacrificii?*

Resp. Imprimis, quod non requiratur occisio, satis patet, cum non solum ex animalibus, sed etiam ex simila aut panibus sacrificia olim offerri consueverint[2]. Sed nec requiritur rei destructio: iam enim Melchisedech obtulerat sacrificium de pane et vino, antequam Abraham vel eius comites has res consumerent. Similiter, in veteri Lege, offerebantur in sacrificium panis, vinum, manipulus spicarum, cum interdum sufficeret ut res istae per sacerdotem levarentur in altum.

Quocirca dicendum, ad sacrificii rationem sufficere eam mutationem, per quam hostia accipiat statum secundum esse naturae humiliorem, magisque tendentem ad destructionem, quam ad persistentiam, ut hic notat S. Thomas[3]; ubi quod dicit, sacrificium interdum haberi,

1. In 2 2ae, Quaest. LXXXV, introd. — 2. Levit., II, VII. — 3. Ad 3m.

cum res oblata benedicitur, intelligendum est de benedictione non simplici, sed alicui reali, etsi accidentali, mutationi coniuncta, qualis erat elevatio rei oblatae in altum.

10. — Quaestio II. — *Quaenam sint ea quae in sacrificio olim offerri solebant?*

Resp. Ea fuerunt, generaliter loquendo, quae in usum hominis veniunt, quae quidem a Deo recognoscere debemus, et quorum oblatione, nostram testamur perfectam subiectionem relate ad Deum. Ea autem quae in usum hominis veniunt de terrae nascentibus, ait S. Thomas, vel sunt in cibum, et de his offerebatur panis; vel sunt in potum, et de his offerebatur vinum; vel sunt in condimentum, et de his offerebatur oleum et sal; vel sunt in medicamentum, et de his offerebatur thus, quod est aromaticum et consolidativum; per panem autem figuratur caro Christi; per vinum autem sanguis eius per quem redempti sumus; oleum figurat gratiam Christi; sal scientiam; thus orationem [1]. Mel autem non offerebatur in sacrificiis Dei, tum quia consueverat offerri in sacrificiis idolorum, tum etiam ad excludendam omnem carnalem dulcedinem et voluptatem ab his qui Deo sacrificare intendunt; fermentum vero non offerebatur, ad excludendam corruptionem; et forte etiam quia in sacrificiis idolorum solitum erat offerri; sal autem offerebatur, quia impedit corruptionem putredinis, sacrificia autem Dei debent esse incorrupta; et etiam quia in sale significatur discretio sapientiae vel etiam mortificatio carnis; thus autem offerebatur Deo ad designandam devotionem mentis, quae est necessaria offerentibus, et etiam ad designandum odorem bonae famae: nam thus et pingue est et odoriferum [2].

1. 1 2ae, Quaest. CII, art. 3, ad 13m. — 2. Ibid., ad 14m, ad litt.

11. — Quid sit sacrificium proprie dictum. — Ex dictis sequitur, sacrificium proprie dictum definiri posse: *Oblatio rei sensibilis, quae per legitimum ministrum consecratur et offertur Deo, cum aliqua illius rei immutatione reali*[1].

Dicitur *oblatio,* quia, ut diximus, omne sacrificium est oblatio, etsi non convertatur; *rei sensibilis,* ad distinctionem sacrificii interioris, quo quis devotam mentem Deo offert: cum enim sacrificium sit sacrum signum, ideo requirit rem aliquam sensibilem et externam; *quae consacratur,* id est, aliquo religioso ritu fit sacra[2]; *et offertur Deo,* sacrificium enim est actus latriae soli Deo exhibendus, ut dictum est[3]; *per legitimum ministrum,* seu sacerdotem, legitima auctoritate ad hoc deputatum: cum enim sacrificium offeratur pro toto populo, hinc debet per publicum ministrum, qui nomine ceterorum agat, offerri: unde et in lege naturae erant sacerdotes, vel peculiari instinctu divino deputati, vel secundum determinationem hominum, vel primogeniti[4], vel potius patresfamilias, qui sicut auctoritate civili gaudebant in suos, ita et sacerdotale munus pro eisdem exercebant. Quod demum ponitur, *cum aliqua rei sensibilis immutatione reali,* ultimam designat differentiam inter simplicem oblationem et proprie dictum sacrificium.

12. — Solvitur difficultas. — S. Augustinus vocat sacrificium internum et invisibile *verum* sacrificium[5]. Ergo ad sacrificium externum seu proprium non requiritur res sensibilis.

Resp. *Dist. antec.* S. Augustinus vocat sacrificium internum *verum* sacrificium, *conc.*; proprium, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Aliud est quippiam esse verum, aliud

1. Fr. SYLVIUS, in 2 2ae, Quaest. LXXXV, introd. — 2. Cf. hic, ad 3m. — 3. Art. 2. — 4. 1 2ae, Quaest. CIII, art. 1, ad 3m. — 5. L. X de Civ. Dei, cap. 6, t. VII, col. 242.

esse proprie dictum: sic Christus Dominus seipsum dicit esse *vitem veram* [1], quin tamen proprie vitis sit; sed vera dicitur vitis, iuxta eumdem Augustinum [2], *per similitudinem, non per proprietatem.* Similiter relatio dicitur vera, etsi realis non sit, sed rationis tantum [3]. Igitur omne opus bonum dici potest vere sacrificium, non, ut advertit Sylvius [4], ratione formae et essentiae, quasi habeat omnia ad essentialem rationem sacrificii proprie dicti pertinentia, sed tum ratione finis, quia refertur ad honorem Dei ut supremi Domini, tum ratione effectus, quia valet ad placandum Deum eique placendum; tum denique quia est id quod significatur per sacrificium proprie dictum. Sacrificium enim externum est in genere signorum, et significat spirituale sacrificium interius quo anima seipsam offert Deo [5].

13. — Divisiones sacrificiorum. — I. *Ex parte status.* Sacrificia distinguuntur in sacrificia legis naturae, legis mosaicae et legis christianae: at sub Lege nova unicum habetur sacrificium, scilicet Christi Domini sive in ara Crucis, sive in altari immolati.

II. *Ex parte materiae.* Sacrificium dividitur in victimas seu hostias, immolationes et libamenta. *Victimae* seu *hostiae* dicuntur sacrificia ex animalibus, non quibuscumque, sed qualia Lege veteri designabantur. *Immolationes* (a *mola* seu *molendo*) vocantur sacrificia ex rebus inanimatis, sed solidis, ut ex farre, farina, pane, sale, thure; at istud vocabulum, usu tum sacro tum profano, ad omne sacrificii genus extensum est. *Libamenta* denique sunt sacrificia rerum liquidarum, ut vini, aquae et olei.

III. *Ex parte actionis* vel *formae,* sacrificium dividitur in holocausta, hostias pro peccato et hostias pacificas. *Holocausta,* utpote in reverentiam divinae maiestatis

1. Io. I, 5. — 2. Tract. LXXX in Io. — 3. Cf. tr. DE SS.MA TRINIT., Quaest. XXVIII, art. 1, n. 2. — 4. Introd. ad Quaest. LXXXV. — 5. Art. praec.

unice oblata, tota cremabantur ac, in fumum resoluta, ascendebant ad Deum; unde conveniunt statui perfectionis in impletione consiliorum. *Hostiae pro peccato*, quae diversificabantur pro diversitate peccati expiandi, partim cremabantur, partim a sacerdotibus manducabantur, ut per huiusmodi participationem eorum ministerium propitiabile significaretur: huiusmodi sacrificia conveniebant statui poenitentium in satisfactione peccatorum. *Hostiae pacificae* Deo offerebantur, pro beneficio vel accepto vel accipiendo et in tres partes dividebantur, quarum una incendebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum sacerdotum, tertia vero in usum offerentium, ad significandum quod salus hominis procedit a Deo mediante ministrorum directione et salvandorum cooperatione: conveniebant illae hostiae statui proficientium in adimpletione mandatorum [1].

IV. *Ex parte modi*, distinguitur sacrificium *cruentum*, quod effusione sanguinis perficitur, sicut quando pecora in veteri Lege et Christus Dominus in nova immolabantur, a sacrificio *incruento*, quod absque sanguinis effusione consummatur, quale olim in fructibus terrae, nunc autem actione eucharistica, perficitur.

V. *Ex parte effectus*, distinguitur sacrificium in *latreuticum, propitiatorium, eucharisticum* et *impetratorium*, de qua distinctione superius egimus [2]. — Notat autem opportune A. A. Paquet [3], quod quamvis nullum sit verum sacrificium cui haec omnia aliquo modo coniunctim non competant, sustinetur tamen praefata divisio, quatenus in uno sacrificio una ratio praevalet, altera in altero: unde divisio stricte logica non est.

14. — Quaestio. — *Utrum sacrificia veteris Legis habuerint virtutem iustificandi ex opere operato?*

1. Cf. 1 2ae, Quaest. CII, art. 3. Cf. supra, prooem., n. 3, nota 1, p. 3. — 2. Prooem., n. 3. — 3. Disput. VIII, Quaest. I, art. 1, p. 393.

Momentosae huic quaestioni non alia dari debet responsio, quam quae in aliis tractatibus posita est, ubicumque de sacramentis veteris Legis agebatur, nimirum, illa sacrificia iustificasse quidem ex opere operato, at non physice, sed moraliter [1]. Ad quod intelligendum, iuvat hic subnectere limpidam S. Thomae doctrinam.

Nimirum, ut explicat S. Doctor [2], duplex in veteri Lege immunditia observabatur: scilicet, una spiritualis, quae est immunditia culpae, altera vero corporalis, quae tollebat idoneitatem ad cultum divinum, sicut immundus dicebatur leprosus, vel ille qui tangebat aliquod morticinum, et sic immunditia nihil aliud erat, quam irregularitas quaedam. Porro, ab hac immunditia sacrificia veteris Legis habebant virtutem emundandi, quia erant quaedam remedia adhibita ex ordinatione legis ad tollendas praedictas immunditias ex statuto legis inductas. Ab immunditia vero mentis, quae est immunditia culpae, non habebant virtutem, scilicet physicam vel instrumentalem, expiandi; et hoc ideo, quia expiatio a peccatis numquam fieri potuit nisi per Christum, et quia mysterium Incarnationis, et Passionis Christi nondum erat realiter peractum. Quapropter sacrificia vetera non poterant in se continere realiter virtutem profluentem a Christo incarnato et passo, sicut continent sacramenta novae Legis, et ideo non poterant a peccato instrumentaliter mundare, et propterea ab Apostolo vocantur *egena, et infirma elementa* [3]: *infirma* quidem, quia non possunt a peccato mundare: sed haec infirmitas provenit ex eo quod sunt *egena*, id est eo quod non continent in se gratiam, sicut sacramenta et sacrificia novae Legis. Poterat autem mens fidelium tempore Legis veteris per fidem coniungi Christo incarnato et passo: et ita ex fide Christi iustificabantur: cuius fidei

1. Cf. tr. DE GRATIA, Quaest. CXII, art. 1. n. 15; DE SACRAMENTIS IN GENERE, Quaest. LXII, art. 6. — 2. 1 2ae, Quaest. CIII, art. 2. — 3. GAL., IV, 9.

quaedam protestatio erat huiusmodi sacrificiorum observatio, inquantum haec erant figura Christi; et ideo pro peccatis offerebantur sacrificia quaedam in veteri Lege, non quia ipsa sacrificia a peccato emundarent, sed quia erant quaedam protestationes fidei, quae a peccato mundabant. Igitur, in quantum huiusmodi sacrificia de se erant protestationes quaedam fidei, iustificabant ex opere operato; at quia gratiam non continebant, ideo non physico influxu hoc praestabant, sed morali tantum, in quantum, coniuncta cum fide et devotione offerentium, Deum inducebant ad gratiam hominibus concedendam.

15. — Doctrina S. Thomae circa sacrificia veteris Legis. — Ut autem clarior appareat mens S. Thomae circa valorem sanctificativum sacrificiorum veteris Legis, placet sequentia ex eius scriptis excerpere [1]. Primo, advertit in sacrificio tria semper fuisse: scilicet, ipsum sacrificium, personas offerentium et peccatorum remissionem. Porro, in sacrificio duo attendebantur, nimirum, caro et sanguis animalis quod offerebatur, et res spiritualis quae ibi figurabatur, verbi gratia, in agno vel vitulo figurabatur Christus, in capra poenitentia, in bove vita robusta et activa, in ave vita sublimis et contemplativa, etc. Personarum vero offerentium duae erant species: aliae dignae, aliae indignae. Indigni erant qui illa sacrificia carnaliter tantum attendebant; digni autem qui ea spiritualiter attendebant, et in eis Christum figuratum, vel explicite vel implicite, credebant, et secundum intellectum spiritualem vitam suam regebant. Denique erat ibi peccatorum remissio; et hoc quantum ad duo: scilicet quantum ad poenam, id est quantum ad legis irregularitatem; vel quantum ad culpam, id est quantum ad conscientiae maculam.

1. Opusc. LVII, de ven. alt. sacram., cap. II. In compendium S. Doctoris verba hic rediguntur.

Porro, illa sacrificia secundum se, scilicet opera operata, id est carnes et sanguis hircorum, nec placuerunt Deo, nec Deus propter ea remisit culpam quantum ad conscientiae maculam; sed tamen apud homines remissa reputabantur, quantum ad quamdam legis poenam. Iustorum vero sacrificia, non secundum se, sed propter fidem Salvatoris, quem in illis venturum pro mundi redemptione credebant, Deo placebant, et in eis remissionem peccatorum, quantum ad poenam supradictam et quantum ad culpam animae valebant.

Quae quidem S. Thomae doctrina, si ad formulas in sacra theologia receptas perpendatur, hoc evincit, scilicet sacrificia veteris Legis, sicut et sacramentales ritus tunc vigentes, ut puta ritum circumcisionis, primo quidem sine fide nihil valuisse; attamen, fide praesente, Deum movisse ut gratiam suam conferret: quod sibivult, ea valuisse non ex opere operato instrumentaliter seu physice, ut sacramenta novae Legis, sed moraliter, et quidem iis qui non solum obicem non ponerent, sed insuper fidem haberent in Christum venturum, vel per se, ut adulti, vel per alios, ut parvuli.

16. — Utilitas sacrificiorum veteris Legis quantum ad sapientiae doctrinam. — Praeterea magnae fuerunt utilitatis sacrificia veteris Legis ad doctrinam sapientiae promovendam. Fuerunt siquidem velut signa rerum meliorum, et quasi characteres vel litterae parvulis, ut veram adipiscerentur scientiam. Et primo quidem addiscere potuerunt fidem Salvatoris ex sacrificiis ovium, cum in iis adumbraretur Christi innocentia, mansuetudo et mors, per quam redempturus erat humanum genus. Secundo, potuerunt deprehendere veram formam de moribus ex sacrificiis taurorum: cum enim videbant cornuta animalia in holocaustum, id est per ardorem ignis, in cinerem redigi, poterant discere quomodo daemonibus et vitiis resisterent, Dei et proximi amore arderent, et cordis

ac corporis humilitatem in omnibus conservarent. Denique spem de caelestibus potuerunt concipere ex sacrificio animalium quae comburebantur extra castra. Nam corpora cremare, est fideles extra delicias et saeculi voluptates poenitentiam agere, quod profecto valet ad spem obtinendae caelestis gloriae; sanguinem inferri per Pontificem in sancta sanctorum, est animas iustorum post hanc vitam assumi in caelum beneficio Christi, quae iam intercedunt pro peccatis exulum adhuc in mundo relictorum: orationes enim Sanctorum, de manu Angeli, offeruntur Christo, qui illas Patri suo vicissim offert, ut ad eorum perveniamus societatem.

ARTICULUS IV. — *Utrum omnes teneantur ad sacrificia offerenda.*

1. — **Ratio articuli.** — Cum sat aperte constet, ad sacrificium internum, ad quod quidem externum sacrificium ordinatur, omnes teneri, cum teneantur omnes mentem Deo devotam offerre, dubitatio nunc versatur circa sacrificium externum, quod duplex esse diximus, scilicet sacrificium improprie dictum, consistens in externis virtutum actibus de se a religione distinctarum, quatenus isti ad honorem et reverentiam Dei referuntur, et sacrificium proprie acceptum, quale supra descripsimus.

2. — **Sacrificium improprie dictum.** — Imprimis, cuique compertum esse debet, ad internum sacrificium, quod improprie dicitur et consistit in exercitatione actuum virtutum, omnes quidem teneri, quantum ad eos virtutum actus qui sunt in praecepto, non autem quantum ad actus virtutum qui sunt tantummodo in consilio. — Quae cum ita sint, tota praesens dubitatio respicit sacrificium externum, et quidem proprie acceptum.

3. — PROP. I. — Omnes tenentur ad sacrificium proprie dictum, sive per se, sive per alios offerendum, differenter tamen.

Exponitur. — Quod omnes teneantur ad proprie dictum sacrificium offerendum, patet ex hoc quod talis oblatio est de lege naturae: atqui ad ea quae sunt legis naturae omnes tenentur. — *Differenter* tamen, dicimus: nam in lege naturae, homines tenebantur ad tale sacrificium, quale recta illis ratio dictabat, offerendum per sacerdotes aut a Deo aut a republica institutos, sive illi essent patresfamilias, sive alii, ait Sylvius [1]: potest enim respublica providere sibi de sacerdotibus quantum ad cultum divinum, sicut de principibus quantum ad regimen politicum, quando constat Deum non aliter disposuisse. Sub lege autem mosaica, homines tenebantur ad determinata sacrificia, secundum praescriptum legis. Tandem, sub lege Christi, tenentur ad illud unicum sacrificium quod ipse Christus in ultima coena instituit. — Quoad tempus vero quo oportebat offerri sacrificium, id in lege naturali non fuit determinatum, fuit autem in lege mosaica, sicut nunc est in lege nova, determinatione facta, non quidem per Christum, sed per Ecclesiam.

4. — Scholion. — Diximus, omnes ad sacrificium, *sive per se, sive per alios offerendum,* teneri: nimirum, censentur sacrificium offerre non tantum illi qui per se sacrificant, sed illi etiam qui sacrificant per sacerdotis ministerium, vel intentionem suam eius intentioni coniungendo, vel ei sacrificanti serviendo, vel necessaria ad sacrificium suppeditando, vel victum sacerdoti tribuendo ut pro offerente sacrificet [2]: quo sensu laici fideles recte dici possunt offerentes. Hinc in Canone Missae, haec verba: *vel qui tibi offerunt,* possunt optime ad laicos fideles referri; et S. Leo Magnus [3] vult plures eodem die missas celebrari, iuxta

1. Hoc loco. — 2. SYLVIUS. — 3. Epist. LXXXI, cap. 2, p. 149.

multitudinem fidelium, quia alioquin quaedam populi pars sacrificium offerre non posset: ubi supponit S. Doctor populum praesentem simul cum sacerdote offerre. Nec discordat hic dicendi modus a consuetudine Scripturae, in qua populus et offerre et sacrificare interdum dicitur: sic [1]: *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto;* rursus [2]: *Haec sunt sacrificia quae offerre debetis.*

5. — **Solvuntur difficultates.** — In Psalmo legitur [3]. *Holocaustis non delectaberis;* et S. Paulus dicit [4]: *Hostiam et oblationem noluisti;.... holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.* Ergo ad sacrificium offerendum non omnes tenentur.

Resp. Ideo Deus dicitur holocaustis veteris Legis non fuisse delectatum eaque noluisse, non quia sibi illa de se ingrata fuerint, sed quia ex natura sua vim non habebant iustificandi, sicut vim iustificandi habet novae Legis sacrificium: unde quia Deo minus placebant quam sacrificium a Christo oblatum, propterea dicuntur ipsi non placuisse, licet illa ipsemet Deus instituerit, tum propter significationem quam habebant, tum ut populus sic ab idololatria avocaretur [5].

II. Apud Osee legitur [6]: *Misericordiam volui, et non sacrificium.* Ergo idem quod prius.

Resp. Horum verborum obvius sensus est, Deum sacrificium internum sacrificio externo praeferre, phrasi hebraeorum, qui cum unum alteri praeferunt, illud affirmant et hoc negant, ut in hoc [7]: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Igitur, cum sacrificium internum sine externo possit Deo placere, non autem viceversa, ideo verborum sensus est, sacrificium internum pluris facio quam externum,

1. Exod., V, 1. — 2. Num., XXVIII, 3. — 3. L, 18. — 4. Hebr., X, 5, 6. — 5. 1 2ae, Quaest. CII, art. 3, ad 1m; art. 5, ad 4m. — 6. C. VI, 6. — 7. Matth., X, 20.

in quo solo sibi placebant Iudaei. Vane igitur hunc locum torquent haeretici contra sacrificia, et in genere contra usum omnium corporalium caeremoniarum. Ceterum, non quibuscumque sacrificiis praefertur misericordia, sed impiorum sacrificiis: cum enim inter se duo comparantur, debent ambo seorsum, id est, utrumque sine altero considerari. Igitur, si misericordia sine sacrificio conferatur ad sacrificium sine misericordia, nulli dubium est quin illa huic praeferatur, quo etiam sensu legitur[1]: *Melior est obedientia quam victimae*, scilicet *stultorum*, ut in Ecclesiaste ponitur[2].

1. 1 Reg., XV, 22. — 2. C. IV, 17. — Ad pleniorem sacrificii notionem assequendam, iuvat perlegere Patres, ubi de differentia sacrificiorum Abel et Cain loquuntur (Gen., IV, 3 seqq.): praecipue vero libet S. Augustinum recitare qui, proposita sibi quaestione, in quonam consisteret peccatum Cain, respondet (L. XV de Civ. Dei, c. 7): *Recte quippe offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo sacrificandum est. Non autem recte dividitur, dum non discernuntur recte vel loca vel tempora, vel res ipsae quae offeruntur, vel qui offert et cui offertur, vel hi quibus ad vescendum distribuitur quod oblatum est: ut divisionem hic discretionem intelligamus; sive cum offertur ubi non oportet, aut quod non ibi sed alibi oportet; sive cum offertur quando non oportet, aut quod non tunc, sed alias oportet; sive cum id offertur, quod nusquam et numquam penitus debuit; sive cum electiora sibi eiusdem generis rerum tenet homo, quam sunt ea quae offert Deo; sive cum eius rei quae oblata est, fit particeps profanus, aut quilibet quem fas non est fieri. In quo autem horum Deo displicuerit Cain, facile non potest inveniri. Sed quoniam Ioannes Apostolus (1 Ep. III, 12) cum de his fratribus loqueretur,* Non sicut Cain, *inquit,* qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum: et cuius rei gratia occidit eum? Quia opera illius maligna fuerunt, fratris autem illius iusta; *datur intelligi, propterea Deum non respexisse in munus eius, quia hoc ipso male dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum. Quod omnes faciunt qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem;... et hoc est proprium terrenae civitatis.* Opp., t. VII, col. 384, 385.

QUAESTIO SECUNDA

DE VERITATE SACRIFICII EUCHARISTICI

PROLOGUS

1. — Eucharistiae sacrificium quam sit Deo gratum. — Acturi modo de veritate sacrificii eucharistici, iuvat praeprimis verba recitare, quibus Catechismus Romanus illius excellentiam demonstrat[1]. *Sacramentum* (Eucharistiae) *non solum thesaurus est caelestium divitiarum, quo si bene utamur, Dei gratiam nobis conciliamus et amorem, sed in eo praecipua quaedam ratio inest, qua ei pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referre possimus. At vero haec victima, si rite et legitime immoletur, quam grata et accepta Deo sit, ex hoc colligitur. Si enim veteris Legis sacrificia, de quibus scriptum est*[2]*:* SACRIFICIUM ET OBLATIONEM NOLUISTI, *et iterum*[3]*:* SI VOLUISSES SACRIFICIUM, DEDISSEM UTIQUE, HOLOCAUSTIS NON DELECTABERIS, *ita placuerunt Domino, ut Scriptura Deum odoratum esse odorem suavitatis, id est grata ei et accepta fuisse, testetur*[4], *quid nobis sperandum de eo sacrificio, in quo ille ipse immolatur atque offertur, de quo caelestis vox bis audita est*[5]*:* HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI BENE COMPLACUI?

2. — Veritas sacrificii Crucis. — Porro eucharisticum sacrificium ad hoc divinitus ordinatum est, ut

1. P. II, c. IV, n. 69. — 2. Ps., XXXIX, 7. — 3. Ps., L, 18. — 4. Gen., VIII, 21. — 5. Matth., III, 17; XVII, 5.

cruentum illud, semel in Cruce peragendum, repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur [1]. Quocirca id imprimis supponendum venit, quod in alio tractatu demonstratur [2], videlicet Christum verum et proprie dictum sacrificium, in Cruce, in semetipso obtulisse, quo plene divinae maiestati honorem et gratiarum actiones impendit, illamque peccatis nostris offensam perfectissime placavit, divina etiam bonitate conciliata, ut gratias nobis ad vitam aeternam necessarias communicet. Unde dicit Apostolus [3]: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem,* προσφοράν, *et hostiam,* θυσίαν, *in odorem suavitatis.* — *Christus,* ait S. Augustinus [4], *morte sua uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat, unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia iure detinebant, purgavit, abolevit, exstinxit.* Quibus consona sunt ea S. Bonaventurae [5]: *Christus... obtulit sacrificium suavitatis summae pro perfecta Dei placatione* [6].

3. — Christus perfectissimus sacerdos. — Cum autem victimam sacrificii offerre ad sacerdotem proprie ac formaliter pertineat, correlativa enim sunt nomina *sacrificium* et *sacerdos,* Christus vero, maxima actus charitate, semetipsum Deo sponte obtulerit, hinc iure meri-

1. Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 1. — 2. Tract. DE INCARNATIONE VERBI, P. II, Quaest. XLVIII, art. 3, p. 267. — 3. EPH., V, 2. — 4. De Trinit., l. IV, c. XIII, n. 17, t. VIII, col. 821. — 5. Breviloquium, P. IV, c. IX, Opp. t. V, p. 250. — 6. Eleganter non minus quam theologice hunc conceptum Aligherius in divino suo opere pluries refert; puta cum Christum vocat, *l'Agnel di Dio, che le peccata leva* (Purgat., c. XVI, 18); cum nostrae redemptioni alludens, ait (Ibid., c. XXIII, 75): *Quando ne liberò colla sua vena:* aut cum describit *la militia santa che nel suo sangue Cristo fece sposa* (Parad., XXXI, 2).

toque sacerdos κατ᾽ἐξοχήν vocatur, omnia in se sacerdotis officia miro modo adunans: ipse enim non solum preces Deo obtulit ac pro hominum peccatis satisfecit, bona divina hominibus conferens, sed humanum etiam genus in seipso reconciliavit [1]. Quocirca non solum Christus, in ara Crucis pendens, fuit victima novi Testamenti, sed simul quoque extitit victimae sacrificator: et cum esset verus Deus, cui sacrificium offerebatur, simulque verus homo, ideoque ad genus humanum a se redemptum vere pertinens, hinc factum est, ut *idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat et quod offerebat* [2]. — At vero nunc quaestio proponitur, utrum Christi sacrificium ita fuerit in Cruce consummatum, ut nulla eiusdem memoria ac repraesentatio ex Dei voluntate existat, qua illius fructus in aevum applicetur, prouti contra constantem Ecclesiae traditionem contendunt protestantes.

4. — Quo pacto dicitur Christus seipsum immolasse. — At vero, Christus inde a primo conceptionis momento sacerdos unctus est, cum almum Incarnationis mysterium formaliter ordinaretur ad nostram reparationem per illius immolationem complendam; unde ait sanctus Paulus [3]: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* At perfectio et completio eius sacerdotii tunc locum obtinere debebat, quando animam suam actu in Cruce foret positurus, unde dicit idem Apostolus [4]: *Pacificans per sanguinem Crucis eius.* Nimirum, tota Christi vita meritis referta, erat velut iugis immolatio, Crucis immolatione coronanda [5].

1. Tr. de Incarnatione, P. II, Quaest. XXII, art. 1, p. 136. — 2. L. IV, de Trinit., c. XIV, n. 19, t. cit., col. 823. — 3. 2 Cor., V, 19. — 4. Col., I, 20. — 5. *Prêtre, uniquement et totalement prêtre, dès le pre-*

Fuit autem vere Christus suipsius sacrificator : quia licet sibi directe non intulerit mortem, sed mors eius subsecuta sit ex vulneribus a persecutoribus illatis, tamen, cum posset passionem et mortem impedire, adversarios reprimendo ne eum laederent, et per propriam animam, ut erat instrumentum Verbi, naturam carnis suae conservando ne a quocumque laesivo inflicto opprimeretur, ideo vere dicitur Christus sui ipsius sacrificator, iuxta illud [1] : *Nemo tollit* (animam meam) *a me : sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam* [2]. *Iudaei et milites*, ait Dionysius Cartusianus [3], *intulerunt Christo mortem, et ex vulneribus quae ei inflixerunt, consecuta est separatio animae Christi a corpore eius. Sed hoc non fecerunt nisi Christo volente et permittente : qui unico nutu potuit eos prosternere atque occidere, sicut in passione, dicendo :* EGO SUM [4] *provecit eos retrorsum, et ceciderunt in terram. Hinc scriptum est :* OBLATUS EST QUIA IPSE VOLUIT, ET NON APERUIT OS SUUM [5].

———

mier instant de son existence, Jésus n'agit qu'en vue de son sacrifice. Toute sa vie est orientée vers l'autel. Dans cette vie la religion n'est pas tant une vertu distincte que l'attitude de toutes les vertus et de l'âme elle-même. Dès le premier instant Jésus s'est offert pour l'immolation : déjà il est immolé par les dispositions de son âme : IUGIS AMOR SINE CAEDE MACTAT. *Bien plus, s'étant revêtu de notre mortalité et s'acheminant librement vers la mort, Lui, le Fils du Dieu vivant, l'Éternel par nature, il nous paraît répandre, pour ainsi dire goutte à goutte, en une libation prolongée, la vie qu'un jour il sacrifiera tout entière.* J. GRIMAL, S. M. Le Sacerdoce et le Sacrifice de N. S. J. C., p. 143. Paris, 1911.

1. Io., X, 18. — 2. Cf. 3, Quaest. XLVII, art. 1. — 3. Enarr. in c. X Ioann., v. 18. — 4. Io., XVIII, 5, 6. — 5. Is., LIII, 7. — 6. *Jésus lui-même, quoique victime de sa propre immolation, ne s'est pas donné la mort. Il a laissé intacte la loi primordiale du respect à la vie. Il est le prêtre du sacrifice de sa vie ; il n'en est pas le bourreau, il ne s'est pas tué. Ses ennemis l'ont tué. Il n'en a pas moins consommé sur lui-même l'action sacerdotale de l'immolation. Sa vie était en son pouvoir. Malgré lui, qui la lui aurait enlevée ? Toutes les causes naturelles de mort, il ne tenait qu'à lui de les frapper d'impuissance. Mais, quand les exécuteurs de son*

5. — Qua ratione se obtulit Christus crucifixoribus occidendum. — Si autem ulterius quaeratur qua ratione permiserit Christus suiipsius occisionem, respondetur id illum fecisse et ut Deus est et ut homo est; at quoniam ipsi competit sacerdotem esse formaliter ut homo est, ideo considerandum proprie hic est quomodo, ut homo est, permiserit Iudaeis ut se crucifigerent. — Porro in hac actione duo sunt consideranda, scilicet, actio moralis et actio physica. Porro, illam quidem actionem moralem malam potuisset anima Christi impedire, non quidem secundum propriam virtutem, sed solummodo prout erat instrumentum Verbi, secundum quod habet instrumentalem virtutem etiam ad cor hominis movendum de malo in bonum [1]; at quia instrumenti est moveri a principali agente, aliunde non erat voluntas Dei ut peccatum occidentium Christum evitaretur, ideo anima Christi peccatum se occidere volentium minime exclusit. Secundum propriam virtutem vero anima Christi poterat se conservare absque omni nocumento [2], ea ratione qua ad statum originalis iustitiae pertinebat, ut homo posset omnem laesionem a se repellere [3]. Atqui Dominus noster, infinita actus charitate, laesivum huiusmodi a se repellere noluit, sic corpus suum flagellis et clavis tradens in hostiam suavissimi odoris.


6. — Ordo quaestionis. — Ut autem res tanti momenti plene pertractetur, necesse est quaerere, primo, generaliter de existentia in nova lege alicuius sacrificii

---

supplice portèrent violemment leurs mains barbares sur lui, volontairement il laissa les tourments suivre leurs cours. A chaque goutte de sang qui sortait de ses veines, sa volonté disait délibérément oui, jusqu'au moment où, face à la mort, il abandonna sa vie à son Père, pour l'expiation des péchés du monde. JOSEPH BLANC, S. M., L'Agneau de Dieu, p. 97.

1. Cf. 3, Quaest, XII, art. 2. — 2. Ibid., art. 3, ad 2m. — 3. Cf. tr. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCVII, art. 2, n. 4, p. 229.

proprie dicti (1), et secundo, specialiter de sacrificio eucharistico (2-6), quaerendo, primo, an revera Eucharistia sit verum ac proprie dictum sacrificium (2), et secundo, quid sit huiusmodi sacrificium (3-6). Porro, cum hoc sacrificium dicat essentialem ordinem ad sacrificium Crucis, hinc ad cognoscendam eius quidditatem, necesse est primo inquirere, utrum eucharisticum sacrificium sit ipsummet Crucis sacrificium (3). Quidditas autem alicuius rei cognoscitur, cognita illius rei tum forma (4-5), tum materia (6); forma igitur eucharistici sacrificii erit examini subicienda, tum in fieri (4), tum in facto esse (5); post quod non remanebit nisi ut inquiratur de re in hoc sacrificio principaliter oblata (6).



Quocirca sex in hac quaestione quaeruntur.

Primo. Utrum in nova Lege sit sacrificium proprie dictum.

Secundo. Utrum Eucharistia sit verum ac proprie dictum sacrificium.

Tertio. Utrum sacrificium eucharisticum sit ipsummet sacrificium Crucis.

Quarto. Utrum essentia sacrificii eucharistici consistat in consecratione.

Quinto. Utrum in eucharistico sacrificio habeatur vera et proprie dicta immolatio.

Sexto. Utrum Christus sit res principaliter oblata in hoc sacrificio.

Articulus I. — *Utrum in nova Lege sit proprie dictum sacrificium.*

1. — Ratio articuli. — Cum compertum sit tum sacrificium internum, quod consistere diximus in unione mentis ad Deum, tum sacrificium externum improprie dictum, seu actus virtutum, praescindere a quocumque statu, sive legis naturae, sive legis scriptae, ideoque etiamnum obtinere, modo quaestio proponitur de sacrificio externo proprie dicto, maxime cum cessaverint ritualia sacrificia, abolito iam legis mosaicae praescripto. — Pro quo, sit

2. — PROP. — Adest in nova Lege aliquod sacrificium externum proprie dictum.

Prob. ex S. Scriptura. — Apud Malachiam legitur [1]: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* [2]. His verbis, quae a

1. C. I, 10, 11. — 2. Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 1. Pulchra sunt quae hoc super textu scribebat Card. Vaughan (Le saint Sacrifice de la Messe, C. XX, traduction du P. Doyotte, S. I.): *Ni le jour, ni la nuit, jamais le Saint Sacrifice ne cesse de s'offrir. Le soleil est comme le précurseur et l'infatigable et perpétuel héraut qui annonce partout la venue de Jésus Christ sur nos autels. A peine ses premiers rayons ont-ils de loin touché l'horizon d'une contrée, que les prêtres se*

propheta, propter certitudinem eventus, in praesenti tempore pro futuro ponuntur, clarum est sermonem esse de sacrificio quodam novo et externo, et quidem excellentissimo ac universaliter celebrando, in locum sacrificiorum veterum, quae sibi deinceps displicere Deus testabatur, in posterum substituendo. Porro hunc locum pleno consensu sacri scriptores de novae Legis sacrificio, quod per orbem offertur, interpretati sunt: quos inter recenseri possunt S. Irenaeus [1], S. Iustinus [2], S. Cyprianus [3], Eusebius [4], Tertullianus [5], Theodoretus [6], S. Augustinus [7], etc.

Apud Isaiam [8], et similiter Ieremiam [9], dicitur Deus assumpturus, ex filiis novi Testamenti, *sacerdotes et levitas*, seu sacrificantes, et diaconos qui sacrificantibus ministrent: ubi sacerdotes stricto sensu accipiuntur, pro iis videlicet qui sacrificium proprie dictum offerunt, cum internum sacrificium offerre commune sit omnibus fidelibus.

Ad idem redit quod apud Danielem de novissimis temporibus praenuntiatur [10], de iugi sacrificio ad tempus auferendo; quo aliud intelligi nequit, nisi quod sacrificium illud novae Legis, quod institutione et observantia perpetuum est, ad tempus, Antichristi tyrannide, auferendum sit, ne palam et publice possit offerri. Quod autem verba haec ad ve-

---

lèvent, secouent le sommeil, et se préparent à célébrer la Sainte Messe. Dans sa course vers l'occident, il éveille la terre, les peuples les uns après les autres; et l'Eglise, au fur et à mesure, nation par nation, commence sa prière, et se met en devoir d'offrir, par le monde entier, la Victime sans tache du Salut, selon les quatre grandes fins du Sacrifice.

1. L. IV Contra Haeres., cap. 17, t. I, p. 249, alias cap. 32. — 2. L. Dialog. cum Tryphone, p. 132, cap. 28, et p. 144, cap. 41. Ed., Venet., 1747. — 3. Tract. *ad Quirinum adv. Iudaeos* l. I, cap. 1, num. XVI, p. 19. — 4. Demonstrat. Evangel., L. I, c. 6. — 5. Adv. Marcion., III, 22; IV, 1. — 6. In Malach., l. II. — 7. L. XVIII, de Civ. Dei, c. 35, t. VII, col. 517. — 8. C. LXVI, 21. — 9. C. XXXIII, 21, 22. — 10. Cc. XI, XII.

teris Legis sacrificium non referantur, patet ex hoc quod illud non ad tempus, sed in perpetuum fuit abolendum.

Idipsum apparet ex verbis S. Pauli, ubi fideles alloquens, ait[1]: *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum;* ubi per *mensam,* altare utrobique intelligit: ubi vero est altare, oportet ut sit et sacrificium proprie dictum; unde apud graecos et apud hebraeos altare nomen habet a sacrificio: siquidem, graece dicitur θυσιαστήριον, a θυσία, *sacrificii oblatio;* hebraice vero מִזְבֵּחַ, a זָבַח, *mactavit.*

3. — Traditio. — Quid sit in nova Lege verum et proprie dictum sacrificium, multiplici traditionis argumento comprobatur. — Nimirum, id imprimis constat ex ipso ordine sacerdotali: siquidem sacerdotium absque sacrificio consistere nequit; unde legimus[2]: *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Huc etiam pertinet altarium, vel ab antiquissimis temporibus, erectio; praeterea, omnes liturgiae, licet quoad precationes et caeremonias inter se diversae, in hoc tamen conveniunt, quod sacrificii celebrationem praescribunt.

Ad comprobandam autem veterem Ecclesiae fidem, sufficiet sequentia ex libro *Doctrinae duodecim Apostolorum* recitasse[3]. — *Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum. Omnis vero cui est controversia cum amico suo ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc enim est dictum a Domino:* IN OMNI LOCO ET TEMPORE OFFERATUR MIHI SACRIFICIUM MUNDUM, QUONIAM REX MAGNUS SUM, *dicit Dominus,* ET

1. 1 COR., X, 21. — 2. HEBR., V, 1. — 3. Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, cap. XIV.

NOMEN MEUM MIRABILE IN GENTIBUS. Κατὰ κυριακὴν δὲ Κυρίου συναχθέντες κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε, προεξομολογησάμενοι τὰ παραπτώματα ὑμῶν, ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ. Πᾶς δὲ ἔχων τὴν ἀμφιβολίαν μετὰ τοῦ ἑταίρου αὐτοῦ μὴ συνελθέτω ὑμῖν, ἕως οὗ διαλλαγῶσιν, ἵνα μὴ κοινωθῇ ἡ θυσία ὑμῶν. Αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ῥηθεῖσα ὑπὸ Κυρίου. Ἐν παντὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ προσφέρειν μοι θυσίαν καθαράν, ὅτι βασιλεὺς μέγας εἰμί, λέγει Κύριος, καὶ τὸ ὄνομά μου θαυμαστὸν ἐν τοῖς ἔθνεσι.

4. — **Ratio theol.** — Cum sacrificii oblatio ad ius naturae, ut dictum est, pertineat, lex autem evangelica naturam non evacuet, sed potius compleat atque perficiat, hinc tantum abest sacrificium externum proprie dictum deesse in nova Lege, ut potius dicendum sit illud tanto perfectius nunc haberi, quanto ordinationibus tum naturae, tum Moysi, praestant gratia et veritas per Iesum Christum facta [1].

Distinctio graduum et ordinum, ait Seraphicus Doctor [2], *omnis est propter altaris ministerium, scilicet sacrificium, in quo est consummatio omnis divini cultus.* Et rursus [3]: *Verus ordo est qui veram offert hostiam et sacrificium Deo acceptum, et hoc est in novo Testamento, ubi offertur vera Christi caro.*

5. — **Solvitur difficultas.** — Tempus novae Legis, testamenti tempus est, quod est haereditatis vel promissio vel actualis collatio. Atqui idem non potest simul esse testamentum et sacrificium. Ergo ad tempus novae Legis non pertinet sacrificii oblatio, cum per sacrificium aliquid potius Deo conferatur.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* sub eadem ratione, *conc.;* sub diversâ ratione, *nego. Nego conseq. et conseq.* —

1. Io., I, 17. — 2. In 4, Dist. XXIV, p. II, art. II, q. III, t. IV, p. 633. — 3. Ibid., Dist. XIX, art. 1, q. II, t. IV, p. 501, sol.

Licet ratio formalis sacrificii sit distincta a ratione formali testamenti, non tamen cum illa pugnat, ita quod idem non possit simul esse testamentum et sacrificium. Enimvero eadem res potest simul esse, etsi sub diversis rationibus, testamentum et sacrificium: testamentum, quatenus consideratur ut bonum quoddam nobis a Deo actu collatum, vel saltem pignus illius futurae collationis; sacrificium vero, quatenus Deo cum aliqua immutatione offertur. Atqui nihil officit idem a Deo accipi simulque eidem sic offerri, cum nihil habeamus quod a Deo non acceperimus; unde sanctus rex David aiebat [1]: *Quae de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

ARTICULUS II. — *Utrum Eucharistia sit verum ac proprium novae Legis sacrificium.*

1. — Errores. — Sanctissimam Eucharistiam haud esse verum ac proprie dictum novae Legis sacrificium, primi inficiari ausi sunt haeresiarchae saeculi XVI, scilicet Lutherus et Calvinus, quibuscum consensit ecclesia anglicana, quae in articulo trigesimo primo haec habet: *Oblatio Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio, et satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus quam actualibus. Neque praeter illam unicam est ulla alia pro peccatis expiatio. Unde missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur, Sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt, et perniciosae imposturae* [2].

1. 1 PAR., XXIX, 14. — 2. Anglice ita articulus iste audit: *The offering of Christ once made, is the perfect redemption, propitiation, and satisfaction for all the sins of the world, both original and actual, and there is none other satisfaction for sin, but that alone. Wherefore the sacrifices of Masses, in the which it was commonly said that the Priests did offer Christ for the quick and the dead, to have remission of pain or*

Non minus grave et contra fidem catholicam pugnans est quod plures modernistici auctores, qui utique catholicos se haberi volunt, de origine sacrificii eucharistici, tamquam liturgicae actionis, somniati sunt, quorum sententia sequenti propositione continetur: *Coena christiana paullatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt*[1]. — Contra quos, sit

2. — PROP. — **In Eucharistia offertur verum ac proprie dictum novae Legis sacrificium.**

Haec alma fidei nostrae veritas ita apertis verbis in Tridentino Concilio recitatur[2]: (Christus), *in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae Sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac... Apostolis... eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit, per haec verba*[3]: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. — Rursus[4]: *Si quis dixerit, in Missa non*

---

guilt, were blasphemous fables and dangerous deceits. EDGAR C. S. GIBSON, D. D. The thirty-nine Articles of the Church of England. London, 1902, p. 687. — Praetermitti hic non debet sententia dicentium intentionem compilatorum fuisse, his verbis non sacrificium missae, ut sic, condemnare, sed opinionem autumantium Christum quidem sua passione satisfecisse pro peccato originis, instituisse vero missam, ad delenda actualia peccata. GIBSON, op. cit., p. 692.

1. Prop. 49 decr. *Lamentabili*, 3 Iul., 1907. — 2. Sess. XXII, cap. 1. — 3. LUC., XXII 19; 1 COR., XI, 24. — 4. Ibid., can. 1.

offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S.

3. — **Prob. ex figuris.** — Ex anteactis [1] accepimus, duas potissimum recenseri figuras Eucharistiae: videlicet oblationem Melchisedech, et immolationem agni paschalis. Atqui utrumque habuit rationem veri sacrificii. Ergo, ne dicamus rem figuratam figurae cedere, concludendum est Eucharistiam veri ac proprie dicti sacrificii rationem habere.

I. Sane, quod attinet ad oblationem Melchisedech, nulli dubium esse potest, illud verum ac proprie dictum fuisse sacrificium, ut constans traditio tum hebraica, tum christiana retinuit. Enimvero, post verba: *Proferens panem et vinum,* mox subiungitur: *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Cum ergo ex sacerdotio petatur ratio cur Melchisedech panem et vinum protulerit, sequitur actum illum ad actionem vere sacrificalem pertinere. — Nec obstat, in hebraeo particulam haberi coniunctivam וְהוּא כֹהֵן: hebraeorum enim more coniunctiva particula saepe vicem supplet causalis. Nec difficultatem facessat verbum *proferens*, quod Scripturae more pro *offerens* seu *sacrificans* ponitur: quod enim sic profertur ut Deo offeratur, hostia est pro sacrificio. Porro Christus expresse dicitur sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech [2]. Ergo oportet illum cum Melchisedech ita in sacerdotio convenire, ut sub specie panis et vini hostiam Deo offerat, quam non aliam esse comperimus, nisi panem et vinum eucharisticum; unde concludit S. Augustinus [3]: *Melchisedech, prolato sacramento mensae dominicae, novit aeternum eius sacerdotium figurare* [4].

1. Prooem., n. 3. — 2. Ps., CIX, 4; cf. Hebr., VI, VII. — 3. Epist. CLXXVII ad Innocent. P., n. 12, t. II, col. 626. — 4. Cf. S. Cyprian., Ep. LXIII, p. 277.; L. IV de Sacram., sub nomine S. Ambrosii, c. 3; t. IV, col. 481.

II. Quod autem immolatio agni paschalis vera figura extiterit sacrificii eucharistici, testatur unanimis Patrum traditio, ex quibus iuvat recitare S. Hieronymum, qui scribit [1]: *Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat* (Christus), *assumit panem qui confortat cor hominis, et ad verum paschae transgreditur sacramentum.* Revera, hinc quidem, quod immolatio agni paschalis verum fuerit sacrificium ambigi non potest, cum expresse vocetur *victima transitus Domini* [2], quae *in sacrificium* Deo offertur [3]; illinc vero mirabilis invenitur conformitas inter paschalem et eucharisticam celebrationem. Nimirum, ait Angelicus [4], per immolationem agni paschalis, significabatur immolatio Christi, secundum illud [5]: *Pascha nostrum immolatus est Christus:* sanguis vero agni, liberans ab exterminatore, linitis superliminaribus domorum, significat fidem passionis Christi in corde et ore fidelium, per quam liberamur a peccato et morte, secundum illud [6]: *Redempti estis... pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* Comedebantur autem carnes illae ad significandum esum corporis Christi in sacramento; erant autem assae igni, ad significandam passionem vel charitatem Christi; comedebantur autem cum azymis panibus, ad significandam puram conversationem fidelium sumentium corpus Christi; lactucae vero agrestes addebantur in signum poenitentiae peccatorum, quae necessaria est sumentibus corpus Christi.

4. — Malachiae prophetia. — Superius retulimus celebria Malachiae prophetae verba [7], quibus ille praedixit futurum esse sacrificium quoddam praecellens, quod universaliter et ubique celebrandum foret. Atqui sacrifi-

1. In Cap. XXVI S. Matth. et VII, part. I, col. 216. — 2. Exod., XII, 27. — 3. Num., IX, 7, 13. — 4. 1 2ae, Quaest. CII, art. 5, ad 2m. — 5. 1 Cor., V, 7. — 6. 1 Pet., I, 18, 19. — 7. Art. 1, n. 2.

cium huiusmodi aliud revera non est, nisi sacrificium eucharisticum.

Revera, imprimis, ipsa hebraica vox, qua ad futurum illud sacrificium significandum utitur propheta, scilicet מִנְחָה, usu Sacrae Scripturae frequenti, adhibetur ad designandam oblationem ex farina, farre, pane aut vino; haec autem oblatio praedicitur offerenda in omni loco. Igitur, non potest hic sermo esse de sacrificio Crucis, quod cruentum fuit, nec de iudaico sacrificio, quod intra limites gentis hebraicae continebatur; sed de novo quodam sacrificio, veteribus sacrificiis praestantiori, tum frequentia, imo universalitate celebrationis, tum ipsamet sacrificii excellentia, quae ex duobus resultat, scilicet ex effectu huius novi sacrificii, qui est divina glorificatio, unde propheta bis protestationem ponit: *Magnum est nomen meum in gentibus,* necnon ex hoc quod Deus sibi in hac hostia complacere dicitur, ut innuitur ex antithesi inter vetera sacrificia, quae se Deus non amplius suscepturum protestatur, et novam illam oblationem, quae *munda,* κατ᾽ ἐξοχήν, celebratur.

Quod autem futura haec singularis oblatio verum sit sacrificium, apparet primo, ex oppositione sacrificiorum. Nimirum iudaico cultui, qui imperfectus praedicatur, successurus praenuntiatur cultus novus atque perfectus: cum autem ille sine sacrificiis non substiterit, et hunc sacrificio constare necesse est. Praeterea, sacerdotibus iudaicis, quos Deus per os prophetae in citato textu alloquitur [1], non quicumque pii homines, sed certi ac determinati ministri sufficiendi esse dicuntur, qui filii Levi, id est sacerdotes appellantur [2]. Atqui sacerdos et sacrificium ita correlativa sunt, ut ille nonnisi ratione offerendi sacrificii dicatur, iuxta illud S. Pauli [3]: *Omnis pontifex,... pro hominibus constituitur,... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Cum autem praeter

1. Cf. vers. 6. — 2. Cf. C. III, 3, 4. — 3. Hebr., V 1.

Eucharistiam nihil in nova Lege habeatur cui sacrificii ratio competat, hinc ex prophetia Malachiae clare deducitur, existere in nova Lege sacrificium Deo gratissimum, quod aliud profecto non est nisi ipsa eucharistica oblatio [1].

5. — **Institutionis verba.** — Sacri scriptores, dum de sanctissimae Eucharistiae institutione loquuntur, sequentia verba adhibent: *Hic est... sanguis meus... qui pro multis effundetur* (graece ἐκχυννόμενον, *qui funditur*), *in remissionem peccatorum* [2]; rursus: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur... Hic est calix... in sanguine meo qui pro vobis fundetur* (graece iterum ἐκχυννόμενον, *qui funditur*) [3]; denique: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (graece κλώμενον, *quod frangitur*) [4]. — Atqui istis dicendi formis, nimirum, *fundi Christi sanguinem in remissionem peccatorum, dari, tradi aut frangi corpus Christi pro nobis*, non aliud nisi oblationem Deo cum immutatione factam, seu verum propriumque sacrificium significari, constat tum usu Sacrae Scripturae [5], tum analogia inter novum ac vetus Testamentum, quod nonnisi sanguine sacrificali dedicatum est [6]. In illis tamen locis non de sacrificio Crucis, sed de sacramentali sacrificio, sermonem esse patet.

1. Ad rem faciunt etiam plura alia vaticinia, verbi gratia, Ps. XXI, a vers. 23 ad vers. 30; Is., XIX, 21; Jerem., XXXIII, 17, 18; Dan., XII, 11 De hisce prophetiis opportune scribit Dr. Nic. Gihr: *Une obscurité sacrée planait sur toutes ces prophéties au temps de la loi ancienne; les clartés du Christianisme l'ont fait évanouir. Comment ne pas en voir l'accomplissement éclatant dans le sacrifice et la communion que l'Eglise célèbre en tous lieux et en tout temps?... Quel bonheur, quelle grâce de pouvoir jouir de ces dons dans le sein de l'Eglise catholique! Ces hommes, ces serviteurs de Dieu de l'antiquité n'ont point reçu ces biens promis, ils les ont aperçus et salués de loin* (Hebr., XI, 13); *nous les possedons dans toute leur plénitude.* Op. cit., p. 89, 90. — 2. Matth., XXVI, 28. — 3. Luc., XXII, 19, 20. — 4. 1 Cor., XI, 24. — 5. Gal., I, 4; II, 20; Eph., V, 2. — 6. Hebr., IX 18.

tum ex eo quod Christus in Cruce nondum revera passus fuerat, tum ex repetito usu, saltem in textu graeco, praesentis temporis: ex quo arguitur in mente Christi, verba illa proferentis, distinguendum esse sacrificium Crucis a sacrificio Eucharistico; et illud quidem esse futurum, istud vero modo suo iam existere.

Signanter vero, attento Lucae dicendi modo hic recitato, advertendum est, cum Sylvio, quod, etsi continens ponatur pro contento, calix scilicet pro sanguine, quia tamen effusio tribuitur calici et non sanguini, nisi quatenus sanguis in calice continetur, oportet illis verbis intelligere effusionem quae tunc fiebat, quando scilicet sanguis calice contentus effundebatur, quod erat in ultima coena [1].

6. — **Modus consecrationis.** — Idipsum apparet ex modo quo sanctissima Eucharistia consecratur; nimirum seorsim corpus et seorsim sanguis, ex Christi institutione, consecratur, ut detur intelligi Christi praesentiam, sub speciebus panis et vini, esse ad modum corporis occisi et hostiae pro peccatis. Ad rem S. Gregorius Nyssenus [2]: *Seipsum pro nobis* (Christus) *hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium iam esse perfectum.*

7. — **Confirmatur ex aliis testimoniis novi Testamenti.** — Possunt in huius rei confirmationem et alia testimonia ex novo Testamento adferri. — I. Cum disceptatio esset inter samaritanos et iudaeos, utrum videlicet adoratio, scilicet sacrificalis, Deo praestari deberet in

1. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 1. — 2. Orat. I, in Christi Resurrect. Paris, 1605, col. 706.

monte Garizim an Hierosolymis, mulieri samaritanae, quae sermonem de hac controversia introduxerat, ait Dominus noster[1]: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem... Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Quibus verbis Christus, novae Legi manifeste alludens, implicite testatur novam tunc sacrificii formam introducendam esse, veterum sacrificiorum forma tanto praestantiorem, quantum spirituale temporali praecellit. Nimirum, ipsa sermonis ratione postulatur ut Christi verba ad ritum sacrificalem referantur, veteribus ritibus substituendum: quod aliud esse nequit, nisi sacrificium eucharisticum.

II. In Actibus Apostolorum legitur[2]: *Ministrantibus autem illis Domino,* λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, *et ieiunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus,* etc. Porro haec de sacrificii oblatione intelligenda esse, liquido patet ex usu graecae vocis λειτουργούντων, quae Scripturae more ad sacrificalem actionem designandam adhibetur. Ubi respuenda omnino est protestantium huius loci expositio; qui, praeeunte Erasmo, liturgicam hanc actionem ad praedicationem evangelicam referri contendunt, quasi, ut ille ait, nullum Deo gratius sacrificium esse possit, *quam impertiri doctrinam evangelicam:* enimvero, praeterquamquod phrasis, *liturgiam facere,* usu biblico, absolute ponitur pro ministerio sacrificii, adiecta hic vox *Domino* omnem alium sensum excludit, cum ministrare Deo proprie sit ministerium sacrificale eidem exhibere. Porro, ministerium illud liturgicum praecise circa sanctissimam Eucharistiam praestabatur[3].

1. Io., IV, 21, 23. — 2. C. XIII, 2. — 3. Circa hanc vocem, λειτουργεῖν, opportune notat continuator M. Ios. SCHEEBEN, Dr. LEONH. ATZBERGER (Handbuch der Kath. Dogm., IV B, p. 640, Freiburg im B. 1903): *Auch sonst bedeutet* λειτουργεῖν *und* λειτουργία *in der Schrift und im kirchlichen Sprachgebrauche meist einen öffentlichen heiligen Dienst, speziell den priesterlichen Opferdienst bezw. die eucharistische Opferfeier.*

III. Apostolus, ut fideles ab idolothytis avocaret, scribebat[1]: *Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo vos socios fieri daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* His verbis comparat Apostolus mensam et altare christianorum cum mensa et altari ethnicorum. Atqui mensa et altare referuntur ad sacrificium. Ergo mens Apostoli est comparare sacrificium christianorum cum sacrificiis ethnicorum. Porro haec sacrificia, etsi idolis oblata et sic peccaminosa, erant tamen vera et proprie dicta sacrificia. Ergo ex mente Apostoli, verum censendum est ac proprium sacrificium christianorum, quod aliud non est, nisi eucharisticum.

IV. Idem Apostolus, ut fideles avocaret ab usu sacrificiorum iudaicorum, aiebat[2]: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt:* ex quo eruitur, ex mente Apostoli, christianos, non secus ac iudaeos, habuisse altare (θυσιαστήριον, *sacrificatorium*), de quo ederent. Atqui christiani de altari suo nihil aliud edunt, quam Eucharistiam. Ergo Eucharistia, iuxta Apostolum, offertur in sacrificium; alioquin, ait Perrone[3], perperam meminisset altaris, si cibus ille, qui dicitur de altari sumptus, Deo in sacrificium oblatus antea non esset.

8. — Praecellentia sacrificii novae Legis super sacrificia veteris Legis. — Praestat vero, cum adhuc in limine tractationis versemur, breviter ostendere quanto sacrificium corporis Christi praestet cunctis Legis sacrificiis. Quod quidem primo evincitur ratione *honestatis:*

1. 1 Cor., X, 18, seqq. — 2. Hebr., XIII, 10. — 3. Tract. de Euch., *De Sacrif.*, c. I, prop. I.

quia sub nulla alia forma posset tam munde, tam pulchre, tam decenter ministrari, sicut sub specie panis et vini: non enim sequuntur hic inconvenientia illa, quae comitabantur cruenta illa Legis sacrificia. Sed non solum ab exteriori specie, verum etiam a virginali origine apparet honestas huius sacrificii, cum a nulla corruptione, sed a virginali flore sumpserit exordium: flores enim pudicitiae et virginitatis versi sunt in fructum nobilissimae et honestissimae prolis. Denique honestas huius sacrificii apparet ex spirituali dulcedine pietatis, qua cunctos christianos ad se attrahit, cum honestum illud sit, quod sua vi nos ad se trahit et allicit: omnes autem qui vere credunt, ob spem gratiae et devotionis, ad hoc sacrificium videndum et adorandum ad Ecclesiam frequenter et ferventer accurrunt.

Praestat, secundo, sacrificium novae Legis omnibus sacrificiis veteris Foederis ratione *dignitatis,* quod patet a tribus rebus pretiosissimis, ex quibus consistit; scilicet ex Christi carne mundissima, anima iustissima, deitate altissima. Haec tria in agno Paschali figurata sunt, in nostro sacrificio vere perfecta sunt [1]: *Caput agni cum pedibus et intestinis vorabitis.* Caput agni significat deitatem, intestina animam, pedes carnem: ecce in Christo Deus, anima, et corpus; propter quod dicitur: *Ave salus mundi, deitas integra, verus homo.* Ex carne scilicet et anima, propter tantae dignitatis excellentiam, habet sacrificium nostrum prae aliis triplicem praerogativam: Deo namque secundum se acceptum est, Angelis reverendum, hominibus adorandum: primum est propter animam iustam; secundum, propter animam mundam; tertium, propter divinitatem summam.

Denique, praestat sacrificium novae Legis sacrificiis antiqui Testamenti ratione *virtutis,* id est, propter effectum suae bonitatis. Habet enim triplicem bonum actum

1. Ex., XII, 9.

in triplici statu fidelium: in mundo, in purgatorio, in caelo. In mundo, peccata relaxat; Dominus quippe nobis dedit sacramentum salutis, ut quia quotidie peccamus, et ille pro nobis amplius mori nequit, per hoc sacramentum remissionem consequamur. In purgatorio acerbam alleviat poenam: unde caro et sanguis Christi recte pro animabus defunctorum offeruntur, ut a poena purgatorii, qua pro residuo poenitentiae ligati sunt, solvantur. In caelo autem hoc sacrificium gaudium magnum generat: beatos videlicet in caelo delectat, in eo quod plurimum gaudent et congratulantur in hoc sacrificio de memoria Redemptoris, de aspectu nostrae salutis et de admiratione divinae bonitatis. Hinc est quod tripliciter missae celebrari solent: pro salute vivorum, pro requie defunctorum et pro gloria beatorum; et hostia in tres frangitur partes, ut virtus sacrificii corporis Domini in praedicto triplici statu demonstretur [1].

9. — **Liturgia.** — Porro, quod in Eucharistia habeatur verum ac proprium novae Legis sacrificium, adeo in mente Ecclesiae defixum manet, ut in sacra liturgia, quae legem credendi refert, et signanter in Canone missae, inde ab antiquis temporibus sublimis haec veritas clare expressa habeatur. Nec solus Ecclesiae Romanae Canon, quem Novatores saeculi decimi sexti ideo reiecerunt, quod in eo *omnia fere sonant ac olent oblationes* [2], sed Canones etiam aliarum Ecclesiarum, earum quoque quae ab unitate catholicae fidei sunt avulsae, hoc dogma alte proclamant, dum clarissimis verbis Eucharistiae celebrationem, tanquam verum ac proprium Iesu Christi sacrificium repraesentant. Ibi videlicet dicendi formulae tales habentur, quae nonnisi pro designando vero ac proprio

1. S. Thom., opusc. LVII de Ven. Altaris sacramento, c. 5 in compendium redactum. — 2. Cf. Bellarmin., l. V, de Sacrificio Missae, c. 5. Ingolstadii, 1578, t. II, col. 966.

sacrificio adhiberi queunt: verbi gratia, dum dicitur: *Offerimus, immolamus hostiam salutarem, holocaustum Deo beneplacitum, rationabile sacrificium*, etc.; dum Agnus expresse recensetur, qui vivens pro peccatis nostris offertur et immolatur; dum comparatur hoc sacrificium cum sacrificiis veteris Testamenti, maxime Abel, Abraham et Melchisedech; dum Angeli introducuntur, invisibiliter sacrificio ministrantes; dum Deus enixe rogatur, ut per sanctam oblationem propitius nobis reddatur, condonans peccata, largiens gratiam, etc.: quae omnia nonnisi de vero ac proprie dicto sacrificio utique dici possunt.

Quocirca, rite cum Bellarmino concludi potest [1]: *Ex omnibus antiquis liturgiis quae exstant, Iacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, et ex libro quinto et sexto de Sacramentis Ambrosii, et ex Catechesi quarta et quinta mystagogica Cyrilli Hierosolymitani, qui magnam partem liturgiae exponunt, clarissime patet, veteres Patres eo ritu celebrasse mysterium Eucharistiae, ut nihil dubitaverint eam esse verissimum sacrificium: plena sunt enim nominum oblationis, sacrificii, victimae, signorum, benedictionum, elevationum aliorumque eiusmodi rituum* [2].

10. — Concilia. — Eadem veritas, scilicet Eucharistiam esse verum ac proprium novae Legis sacrificium, ex plurium Conciliorum, tum generalium, tum particularium, decretis liquido eruitur. In Concilio Nicaeno I [3] prohibetur ne diaconi Eucharistiam presbyteris porrigere praesumant, quia *nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant:* ex quo constat men-

1. Loc. cit., cap. 18, col. 1036. — 2. Cf. Le Brun, in *Explic. Missae*. t. III, Diss. XII, art. 1; Renaudot, *Liturg. Orient.*, Diss. I; Muratorius, *Liturgia vetus Romana:* Io. Al. Assemanus, *Codex liturgicus univer. Eccl.;* etc. — 3. Can. 18. Mansi, t. II, col. 682.

tem Concilli esse, presbyteris competere potestatem offerendi Christi corpus, seu sacrificandi. — Ephesinum Concilium, in declaratione anathematismi IX, ait[1]: *Sanctum ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus, corpus quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem, non communis nobisque similis hominis cuiuspiam esse credentes, sed potius tanquam proprium corpus effectum, et sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes.* — Pariter, in Concilio Chalcedonensi Ischyrion, nemine Patrum reclamante, Eucharistiam vocat *terribile et incruentum sacrificium,* quod Dioscori avaritia, nimio pretio frumenta distrahentis, offerri atque celebrari vix permiserit[2]. — In Concilio Carthaginensi III, anno 397 celebrato, ordinatur [3], *ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aquae mixtum; nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis et frumentis.* — Celebre quoque est illud Concilii Toletani X [4]: *Certum est quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti... Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur?* — Nec minus expresse in Concilio Trullano legitur [5], S. Chrysostomum tradidisse aquam vino miscendam, *quando incruentum peragi sacrificium oportet, ex pretioso Christi nostri Redemptoris latere ex sanguine et aqua,* etc.

His omnino cohaerent quae in recentioribus generalibus Conciliis decreta sunt. Ex quibus, primo loco recenseri potest Lateranense IV, in quo adversus Albigenses definitum est [6]: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur; in qua idem*

1. MANSI, t. V, col. 18. — 2. Act. III, MANSI, t. VI, col. 1014. — 3 Cap. 24. MANSI, t. III, col. 884. — 4. Alias XII, anno 681, cap. 5. Mansi, t. XI, col. 1033. – 5. Can. 32. MANSI, t. XI, col. 958. — 6. Cap. 1. I. Denzinger-Bann., n. 430.

ipse sacerdos et sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur. — Pariter, in Concilio Tridentino definitum est [1]: *Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S.* Et rursus [2]: *Si quis dixerit, illis verbis:* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, A. S.*

Sed praecipue notanda sunt sequentia verba [3]: *Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem eius, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacrae Litterae ostendunt, et catholicae Ecclesiae traditio semper docuit.*

Hisce accedit sequens proscripta Wicleffi propositio [4]: *Non est fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit;* necnon haec altera Baii [5]: *Sacrificium missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.* — Nec praetermitti hic debet Graecorum professio, in Concilio Constantinopoli-

1. Sess. XXII, can. 1. — 2. Can. 2. — 3. Sess. XXIII, cap. 1. — 4. Art. 5 damnatus a Concilio Constant. et a Martino V, 1418. Denz.-Bann., n. 585. — 5. 45ª inter 79 propos. a S. Pio V proscriptas, a. 1567. Denz.-Bann., 1045.

tano[1]: *Cultu Deo competente Christi Salvatoris deificatum corpus adoratur* (in Eucharistia), *et pro fidelibus christianis omnibus, tum vivis, tum defunctis, ceu hostia immolatur.*

11. — Patrum consensus. — Ut modo ad Patrum testimonia deveniamus, primo advertimus, haec adeo copiosa suppetere, ut nulli eorum scripta sereno animo percurrenti, dubium superesse possit, eos unanimiter tenuisse Eucharistiae inesse veri ac proprie dicti sacrificii rationem. Ut autem paucos seligamus, primo loco recenseri potest antiquum illud ac celebre documentum, quod in epistola presbyterorum Achaiae de martyrio S. Andreae continetur, ubi Apostolus inducitur ita Aegeam proconsulem allocutus[2]: *Omnipotenti Deo... ego omni die offero hostiam, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum quotidie in altari Crucis sacrificans; cuius corpus posteaquam omnis populus credentium manducaverit et eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus.*

Haud minus eloquenter S. Ignatius martyr[3]: *Una est caro Domini nostri Iesu, et unus calix: unum altare, sicut unus episcopus.* Qui etiam de haereticis loquens, ait[4]: *Eucharistias et oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Servatoris nostri Iesu Christi.* — Audiatur quoque S. Iustinus martyr[5]: *Sacrificium similae, pro iis qui a lepra purgabantur praescripta, typus erat panis Eucharistiae, quem Dominus noster Iesus Christus... fieri praecepit,* ἡ τῆς σεμιδάλεως δὲ προσφορά ... τύπος ἦν

1. A. 1572, can. 3. — 2. P. G. Migne. T. II, col. 1227. Vide quae de hac epist. scripsimus in tr. DE B.MA VIRGINE, ed. 4ª, p. 171, n. 1. — 3. Epist. ad Philadelph., n. 4. — 4. Apud THEODORET., Dialog. III. — 5. In Dialogo cum Tryphone, nn. 41, 117, pp. 144, 221, Venet., 1747.

τοῦ ἄρτου τῆς Εὐχαριστίας, ὃν... Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν παρέδοκη ποιεῖν. Et rursus: *Qui per* (Dei) *nomen sacrificia ipsi offerunt ea quae a Iesu Christo praescripta, id est, quae in Eucharistia panis et calicis a christianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur.* — Nec dissimiliter loquitur S. Cyrillus Alexandrinus [1]: *Sanctam et vivificam et incruentam hostiam in Ecclesiis perficimus,* τὴν ἁγίαν, καὶ ζωοποιὸν, καὶ ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν θυσίαν. — Speciali vero dignus est mentione S. Irenaeus, qui ad apostolicam traditionem formaliter appellat, dicens [2]: (Christus in ultima coena) *calicem... suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.* — Similia habent Tertullianus [3], necnon S. Cyprianus [4]; ita quod concludi debeat doctrinam hanc, de veritate sacrificii eucharistici, apud Patres trium priorum saeculorum, nemine contradicente, communiter receptam, ab Apostolis, vel potius ab ipso Christo, fuisse derivatam.

Quod autem attinet ad fidem aevi posterioris, vix unum alterumve ex Patribus recensere est, qui de Eucharistia vel obiter loquens, non expressam mentionem faciat de veritate sacrificii quod per eam Deo offertur. Ex quibus citasse sufficiet SS. Cyrillum Hierosolymitanum et S. Ioannem Chrysostomum, qui de Eucharistia ut sacramento et sacrificio tam copiose et dilucide disseruere, ut nomine *Patrum Eucharistiae* sint merito condecorati. Quorum ille ait [5]: *Postquam vero perfectum est spirituale sa-*

1. Explicat. anathemat. XI. t. VI, p. 156. — 2. L. IV adv. Haeres., c. 17, n. 5. Venet. 1734, t. 1, p. 249. — 3. L. ad Scapulam, c. 2; L. de orat., c. 14. — 4. Epist. LIV ad Cornel.; item Epist. LXIII ad Caecil. — 5. Εἶτα, μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν, ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν, ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης·... ὑπὲρ πάντων βοηθείας δεομένων δεόμεθα πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσ-

crificium, incruentus cultus super illam propitiationis hostiam, obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace:... pro omnibus qui opis indigent precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus... Deinde et pro defunctis,... maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima. — Hic vero ita loquitur [1]: *Quid vero? Annon nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed eius mortem revocamus in memoriam, et ipsa hostia una est, non multa. Eumdem enim semper offerimus, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus, et illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus unum est corpus, ita etiam unum est sacrificium* [2].

Sed nec praetermitti debent testimonia insigniorum latinae Ecclesiae Doctorum, qui omnes disertissimis verbis de eucharistici sacrificii veritate fidem faciunt. Sic quippe S. Ambrosius ait [3]: *Sequimur* (principem sacer-

---

φέρομεν τήν θυσίαν... Εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων,... μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται, τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. Catech. XXIII, myst. 5, n. 8. pp. 327, 328.

1. Homil. XVII in Epist. ad Hebr., n. 3. — 2. Cf. S. GREGORIUS NAZIANZ., orat. II, al. I, n. 95, ubi sacrificium externum ab interno distinguit, docens sacrificium internum cordis contriti praecedere debere, ut externum digne offeratur. Item, in orat. IV, al. III, invect. in Iulian., docet nos per sacrificium incruentum Christo ipsiusque passionibus et divinitati communicare. Cf. etiam S. GREGOR. Nyss., Orat. I *in Christi resurrect.* — Ne longiores simus, lectorem maioris textuum ex sanctis Patribus copiae cupidum remittimus ad Card. BELLARMINUM, op. cit.; PETAVIUM, de Incarnatione, l. XII, cc. XII-XIV; REN. HYAC. DROUVEN, De sacr. contra haeret., l. V, Quaest. IV, c. II; et, ex recentioribus, ad Dr. LEONH. ATZBERGER, *Handbuch*, etc. IV B, pp. 593, seqq. Cf. etiam Dr. NIC. GIHR, op. cit., t. I, pp. 99, seqq., etc. — 3. In Psalm. XXXVIII, n. 25, t. II, col. 294.

dotum), *ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* — Similiter S. Hieronymus [1]: *Sic* (Christus) *docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui:* PATER NOSTER, etc. Et alibi sacraram reliquiarum contemptorem ex illius sententia ita perstringit [2]: *Male facit ergo romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solum unius urbis, sed totius orbis errant episcopi, qui... ingrediuntur basilicas mortuorum in quibus pulvis vilissimus et favilla nescio quae iacet linteamine convoluta?*

Audiatur quoque S. Augustinus, qui ait [3]: *Iesus Christus sacerdos est ipse offerens, ipse est oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium.* Et iterum [4]: *Perrexit unus* (ex presbyteris), *obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit.* — Nec minus diserte S. Leo Magnus [5]: *Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio.* — Praetereundus quoque non est S. Gregorius Magnus, qui ait [6]: *Debemus... quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima*

1. L. III adv. Pelag., t. II, col. 800. — 2. L. adv. Vigilant., cap. 4, t. II, col. 394. — 3. L. X de Civ. Dei, c. 20, t. VII, col. 256. — 4. Ibid. l. XXII, c. VIII, n. 6, col. 666. — 5. Sermo VIII de Pass. Dom., cap. VII, p. 55. — 6. L. IV Dialog., cap. 58. t. I, p. 1063.

ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur... Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem, caelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena caelestibus iungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri ?

Unanimem Patrum concentum resonat S. Ioannes Damascenus, dum illorum testimonia ita compendio resumit[1]: *Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem ille summi Dei sacerdos Melchisedech excepit. Mensa illa mysticam hanc mensam adumbrabat, quemadmodum et sacerdos ille veri summi sacerdotis Christi figuram et imaginem praeseferebat.* TU ENIM, *inquit,* ES SACERDOS IN AETERNUM, SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH. *Panem hunc panes propositionis adumbrabant. Hoc videlicet est purum et incruentum sacrificium, quod Dominus a solis ortu, usque ad occasum, oblatum iri per prophetam dixit.* Αὕτη ἐστὶν ἡ καθαρὰ θυσία, δηλαδὴ καὶ ἀναίμακτος, ἣν ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου μέχρι δυσμῶν αὐτῷ προσφέρεσθαι διὰ τοῦ προφήτου ὁ κύριος ἔφησε.

Quae cum tanta sit Patrum consensio, mirum non est si Lutherus, ipsa facti evidentia fateri coactus fuerit totam sibi antiquitatem adversari: qui tamen impudentissime conclamat [2]: *Hic non moramur, si clamitent Papistae usque ad ravim: Ecclesia, Ecclesia! Patres, Patres! quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus; scimus enim prophetas lapsos esse, atque Apostolos. Verbo Christi iudica-*

1. L. IV de fide Orthod., c. 13, t. I, p. 272. — 2. In lib. *de Missa privata.*

mus Ecclesiam, Apostolos atque ipsos Angelos. Qui etiam haec habet [1]: *Si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare, quam missam sacrificium esse concedere* [2].

Similiter, ex Protestantibus plures, ut Leibnitzius et Ioannes Ernestus Grabius [3], aperte fatentur, negari haudquaquam posse, veterum Patrum doctrina id expresse contineri, videlicet in Eucharistia verum ac proprie dictum sacrificium Deo offerri. Digna sunt quae huius notentur verba. *Vix*, ait [4], *ullus dubitandi locus relictus est, ab ipsis sanctis Apostolis hanc de sacrificio Eucharistiae doctrinam promanasse, ac proinde omnino tenendam esse... Iosephi Medi sententiae toto corde subscribo, et opto ut postquam multi pii doctique a parte protestantium viri hunc Lutheri et Calvini errorem, ac veram apostolicam doctrinam bene agnoverunt, huius quoque sanctissimas liturgicas formulas quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis a suis coetibus proscriptas in usum revocent, et hunc summum divinae maiestati honorem debite reddant.*

1. L. *de Captiv. Babylon.*, cap. I. Similia habet KEMNITIUS, *Exam. Trid. Conc.* — 2. Nil mirum, si eousque impietatis novator devenerit, ut scribere non erubuerit, tandem *sibi a daemone suggestum ac persuasum fuisse, missae sacrificium abrogandum esse* Lib. de Missa privata. — 3. Cf. PERRONE, tr. de Eucharist., C. I, prop. II, n. 270. — 4. In Annot. ad S. Iren., l. IV, c. 32. — Rite hic advertit Dr. LEONH. ATZBERGER (Handbuch, etc. IV B, p. 641): *Der Traditionsbeweis für die Wahrheit des eucharistischen Opfers ist so überwältigend, dass selbst die ärgsten Gegner desselben, Luther und Calvin, und um so mehr objectiv forschende Protestanten der ältern und neuern Zeit eingestehen müssen, der Glaube an das Messopfer sei so alt und so verbreitet wie das Christentum. In der That hatten alle Kirchen, die morgenländischen wie die abendländischen, ebenso alle von der Kirche abgefallenen Secten von Anfang an Altäre, auf welchen das eucharistische Opfer dargebracht wurde, sie hatten Priester, welche dieses Opfer darbrachten, und Liturgien, welche die Opferfeier enthielten.*

12. — Vis traditionis circa sacrificium eucharisticum. — Quae cum ita sint, dupliciter iam ad propositum concludere fas est.

Primo, ex praehabitis liquido constat, fatentibus etiam adversariis, doctrinam de veritate sacrificii eucharistici, vel a priscis temporibus, a Patribus, nullo contradicente, tanquam fidei dogma, retentam ita fuisse, ut illam vel expresse doceant, vel implicite supponant, dum vocibus *sacrificium, hostia, victima* aut *immolatio* vel *mactatio*, graece, θυσία, προσφορά, λατρεία, ἱερεῖον, ἱερουργία, aut verbis *offerre, immolare, sacrificare*, προσφέρειν, σφάττειν, θύειν, θυσιάζειν, ἱερεύειν, passim utuntur. Atqui ubi de revelata doctrina agitur, canon est solemnis, quem tradit S. Augustinus[1]: *Illa consuetudo, quam etiam tunc homines, sursum versus respicientes, non videbant a posterioribus institutam, recte ab Apostolis tradita creditur.*

Secundo, nulla est, inde ab Ecclesiae primordiis, christiana societas, in qua usus non viguerit Eucharistiam sacrificandi: videmus enim apud omnem fidelium coetum et aras in quibus Eucharistia immolaretur, et sacerdotes qui sacrificarent, et liturgias quibus offerendi ritus accurate praescriberetur: imo non alia de causa Novatores altaria in templis everterunt, mensis convivialibus in illorum locum substitutis, nisi ut in fidelium mentibus venenum sui erroris contra eucharistici sacrificii veritatem securius propinarent, sic indirectum testimonium catholicae traditioni reddentes: ubi profecto valet regula S. Vincentii Lirinensis[2]: *Id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit.*

Quocirca, *et nos tantam habentes impositam nubem*

1. De Bapt. contra Donat., l. IV, n. 9, t. IX, c. 126. — 2. Commonitor., c. III.

testium [1], confiteamur corde sincero et grato animo, haberi revera in nova Lege excelsum sacrificium, cuius institutio divinae simul sapientiae, bonitati et iustitiae debetur, per quod Deo reconciliati caelestia munera consequi valemus.

13. — Ratio theologica. — Duplici ratione, ait Angelicus [2], celebratio huius sacramenti dicitur immolatio Christi: *primo,* eo modo quo solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt, sicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus: Ille Cicero est, et ille Sallustius [3]. Atqui celebratio huius sacramenti imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera eius immolatio; et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio. — *Secundo,* celebratio sacramenti Eucharistiae vocatur Christi immolatio, quantum ad effectum passionis Domini nostri, quia videlicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis; unde in quadam secreta dicitur [4]: *Quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur.*

Igitur, quantum ad primum modum, dici potest Christus immolatus fuisse etiam in figuris veteris Testamenti; unde legitur [5]: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vi-*

1. HEBR., XII, 1. — — 2. 3, Quaest. LXXXIII, art. 1. — 3. S. AUGUSTIN., L. II ad Simplicianum, Quaest. III. — 4. Dominica IX post Pentecostem. — 5. APOC., XIII, 8. Pulchrum est, hac super re, commentarium BOSSUETII: *D'où vient tant de sang répandu dans les cérémonies anciennes, sinon pour représenter le sang de Jésus? Pourquoi est-ce que par le sang de l'Agneau le peuple est délivré du glaive vengeur qui désola les maisons des Egyptiens? Pourquoi est-ce que l'alliance est signée et ratifiée par le sang? Pourquoi n'y a-t-il point d'entrée dans le sanctuaire, si le Pontife n'a les mains teintes du sang des victimes? Pourquoi les crimes sont-ils expiés, les Pontifes et leurs vêtements consacrés par le sang versé dans le sacrifice? Le sang des animaux égorgés était-il suffisant pour apaiser Dieu? Était-il capable de purifier l'homme? — Si ce n'est pour faire entendre qu'il n'y a ni délivrance, ni consécration,*

lae Agni, qui occisus est ab origine mundi; sed quantum ad secundum modum, proprium est huic sacramento, quod in eius celebratione Christus immoletur.

14. — Scholia. — I. Quae cum ita sint, iam clare apparet, in quonam a catholica doctrina discrepet illorum protestantium sententia qui, Scripturae ac Patrum testimoniorum pondere coacti, ultro admittunt Eucharistiam sacrificii rationem induere: isti nimirum ultro concedunt Eucharistiae inesse vim ac rationem repraesentativam sacrificii Crucis, non ita tamen ut fructus, quos Christus passione et morte sua nobis promeruit, reapse per illud applicentur: unde, iuxta illos, missa est nuda commemoratio immolationis Calvarii, qua illius tragoediae memoria et fides in nobis excitetur.

II. Huic protestantium errori nimium affinis est sententia Vasquezii qui, distinguens sacrificium absolutum a sacrificio relativo, et concedens, in illo quidem locum habuisse veram victimae immolationem, huic sufficere censuit meram immolationis olim peractae repraesentationem, eo vel magis quia Christus amplius mori non potest: unde satis est, iuxta illum, ut in missa, utpote quae sacrificium relativum est, Christus praesens reddatur, et eius mors repraesentetur. — At hoc minime sufficere satis evincunt verba Concilii Tridentini, expresse aientis

---

ni alliance, ni expiation, ni salut, que par le sang de l'Agneau sans tache, « qui a été tué, dit saint Jean, des l'origine du monde »: tué, dis-je, dès l'origine du monde, parce que dès l'origine du monde sa mort a été figurée par une multitude infinie de sacrifices sanglants. C'est ce qui fait dire à Tertullien: « O Christum in novis veterem » (Lib. IV Adv. Marcion., n. 21). « *Oh! que Jésus-Christ est ancien dans la nouveauté de son Evangile!* » *Ce que nous honorons est nouveau, parce que Jesus-Christ l'a mis dans un nouveau jour ; ce que nous honorons est ancien, parce que la figure s'en trouve dès les premiers temps. La loi est un Evangile caché: et l'Evangile est une loi expliquée* ». Sermon pour le 2me dim. après l'Epiph. Liège, 1862, t. II, p. 145.

quod in sacrificio eucharistico Christus continetur et incruente immolatur [1].

15. — Solvuntur difficultates. — I. **Ex Sacra Scriptura..** — α) Ex doctrina S. Pauli, in nova Lege, est sacerdos Christus, ad distinctionem veteris Legis, quum plures essent sacerdotii participes: ait enim Apostolus [2]: *Alii plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Atqui sacerdotio correspondet oblatio sacrificii. Ergo in nova Lege non datur sacrificium, praeter sacrificium Crucis [3].

Resp. *Dist. mai.* Sacerdos principalis et per auctori tatem, *conc.;* secundarius et ministerialis, *nego. Conc. min. Nego conseq, et conseq.* — S. Paulus citatis verbis sacerdotio veteris Legis opponit Christi sacrificium, quod ideo praefert, quia in aeternum perdurat, cum morte non sit Christus ab officio sacerdotali praeventus, quemadmodum sacerdotes legales. Hoc tamen non officit quominus sub Christo, principali et per propriam auctoritatem sacerdote, plures habeantur secundarii et mininisteriales sacerdotes, quorum praecise in sacerdotio efficacia ab ipso Christi sacerdotio derivetur. *Solus Christus,* ait Angelicus [4], *est verus sacerdos, alii autem ministri eius:* SIC NOS EXISTIMET HOMO UT MINISTROS CHRISTI [5].

INSTABIS. Atqui Apostoli, in suis epistolis, de sacerdotibus, altaribus et templis mentionem non faciunt. Ergo.

Resp. Ideo Apostoli ab his rebus, Deo inspirante, sese abstinuerunt, ne censerentur Iudaeorum sacrificia, quae adhuc vigebant, auctoritate sua confirmare: postmodum vero, everso iam templo hierosolymitano, Patres vel antiquissimi ministros Ecclesiae sacerdotes passim appellare

1. Sess. XXII, c. 2. Cf. ED. HUGON, O. P. La sainte Eucharistie, p. 309, Paris, 1916. — 2. HEBR., VII, 23, 24. — 3. Ita Calvinus. — 4. Comment. in h. l. S. Pauli. — 5. 1 COR., IV, 1.

coeperunt, et similiter de templis et altaribus sermonem instituere: quibus nominibus usi non fuissent, nisi alta mente ipsis fuisset impressum, verum haberi in catholica Ecclesia sacrificium, ad quod offerendum sacerdotes, altaria ac templa ritu solemni consecrantur. Sed nec alia de causa Novatores altaria subverterunt, templa demoliti sunt, ac sacerdotum consecrationem impedire conati sunt, nisi ut omnem de vero ac proprio sacrificio notionem a populo christiano delerent.

β) Christus in Cruce immolatus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*[1]. Ergo non relinquitur locus alteri sacrificio ad salutem hominum ordinato[2].

Resp. *Dist. antec.* Per modum causae universalis, *conc.;* per modum causae particularis illi causae universali subordinatae, *nego. Dist. conseq.* Non relinquitur locus alteri sacrificio a priori sacrificio independenti, *conc.;* alteri sacrificio quod sit cum priori identicum, et differat solum quoad modum offerendi, *nego.* — Sacrificium Crucis, ait Al. Ad. Paquet[3], in ordine causae universalis ita fuit sufficiens, ut nostram salutem omnino consummaverit, virtute pertingens ad omnia tempora omnesque homines, omnem quoque in se claudens virtutem sanctificativam. Hoc tamen minime prohibet quominus a Deo institutus fuerit specialis quidam ritus sacrificalis, non quidem ab illo sacrificio independens vel illius effectus completivus, sed ei perfecte subordinatus, quatenus una res cum illo sacrificio existens, medium existeret applicativum fructus illius sacrificii; et hoc est praecise sacrificium eucharisticum. Et per hoc excluditur protestantium instantia, dicentium huiusmodi sacrificium iniuriam irrogare sacrificio Crucis: hoc quidem obtineret, si missa esset complementum sacrificii Crucis: at revera totam

1. HEBR., X, 14. — 2. Ita iterum Calvinus. — 3. De Euchar., Disp. VIII, Quaest. I, art. 2, p. 405.

suam virtutem haurit a sua ad sacrificium Crucis habitudine, ut infra dicetur [1].

γ) Immolatio Christi facta est in Cruce, in qua ille *tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* [2]. Atqui in celebratione huius mysterii Christus non crucifigitur. Ergo nec immolatur.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* in propria specie, *conc.;* in aliena specie, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Sicut celebratio huius sacramenti est imago repraesentativa passionis Christi, ita altare est repraesentativum Crucis ipsius, in qua Christus in propria specie est immolatus [3].

16. — II. **Ex Patribus.** — α) Patres oblationem Christi in Cruce interdum vocant unicum ac singulare novae Legis sacrificium, Eucharistiam vero mysticum tantummodo sacrificium appellant. Ergo, etc.

1. Art. seq. — Pulchra sunt quae hac de re scribit recens auctor. *La messe,* ait, *semble avoir la prétention d'ajouter quelque chose au sacrifice du Calvaire; — elle semble affirmer que la Rédemption de Jésus sur la Croix était insuffisante, qu'elle a besoin d'un complément, complément qui se fait sur l'autel... La Messe est donc injurieuse au Sacrifice du Calvaire. Elle lui fait tort! — O aveuglement d'un esprit enténébré par l'orgueil! Voyez ce beau lac perdu dans ces rochers escarpés: jusque-là, ses ondes pures et raffraichissantes étaient inconnues des hommes: — Un jour, une cité se bâtit au pied de la montagne; un explorateur découvre le lac; un aqueduc est construit qui amène les eaux à la ville en fontaines jaillissantes. Direz-vous que cet aqueduc, fait tort aux ondes pures du lac? Mais c'est lui au contraire qui les fait connaître, qui les utilise et les emploie. Que serait pour les habitants de la ville le trésor de ces eaux, sans l'aqueduc qui les leur amène? — Ce lac immense et sans fond, vous l'avez reconnu, il est situé sur le Mont Golgotha, alimenté par les mérites infinis de Jésus mort sur la croix. Mais ces mérites doivent nous être appliqués: ils doivent arriver jusqu'à nos âmes: la Messe est l'aqueduc divin qui nous fait participants de ces mérites.* Et rite concludit: *Connaissant mieux quel trésor Dieu met, chaque matin, à votre disposition, à deux pas de votre porte, ne ferez-vous pas effort pour assister à la Messe quotidienne, et pour attirer chaque jour sur votre âme les flots de sang divin, dont le Calvaire est la source, dont l'autel est le canal?* J. Hoppenot, La Messe, p. 177. — 2. Eph., V, 2. — 3. 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, ad 2m.

Resp. Ideo ita loquuntur Patres, ut excludant veritatem sacrificii eucharistici, quasi in illo sit nuda et simplex repraesentatio sacrificii Crucis, *nego;* ut ostendant in Eucharistia haberi commemorationem simulque applicationem immolationis in Cruce peractae, *conc.* — Ideo Patres sacrificium Crucis unicum ac singulare appellant, ut illud opponant non sacrificio eucharistico, sed sacrificiis vel mosaicis vel gentilibus; vel si ibi oppositionem inter sacrificium Crucis et sacrificium eucharisticum instituunt, hoc est tantummodo respectu modi offerendi, in quantum illud cruentum, hoc autem est incruentum. Ceterum bene dicitur Eucharistia mysticum sacrificium, quaetenus τὸ *mysticum* supponit pro alicuius rei repraesentatione, quae tamen repraesentatio revera contineat illam rem cuius est repraesentatio. Equidem oblatio eucharistica non solum continet praesentiam realem victimae quae offertur et fructus inde derivatos, sed est etiam re-praesentatio, quasi nova praesentatio immolationis quae in Cruce peracta est, licet haec immolatio nunc actu sit incruenta.

β) Patres ideo Eucharistiam sacrificium dixerunt, aut quod in illius celebratione offertur panis et vinum ad ministrorum sustentationem aut Eucharistiae confectionem, aut quod solemnes preces ab omnibus tunc funduntur, aut quod fit in ea commemoratio sacrificii Crucis, aut denique quod actio coenae, ad quam commemorandam Eucharistia ordinatur, fuit actio sacra, in qua eiusdem mensae fideles participes facti sunt [1]. Ergo, etc.

Resp. Etsi haec omnia Patres in Eucharistia ultro agnoscant, altiori tamen ratione illam tanquam verum ac proprie dictum sacrificium habent: ut patet ex hoc quod plura de hoc sacrificio praedicant, quae sacrificio improprie dicto nequeunt convenire, ut puta, cum aiunt Eucharistiam a solis sacerdotibus confici; cum e contra sacrificium improprie acceptum a quovis offerri possit.

1. Ita Kemnitius.

Rursus tales adhibent in relatione ad Eucharistiam loquendi modos, qui soli sacrificio proprie dicto conveniunt, puta cum illam vocant verum ac singulare corporis et sanguinis Domini sacrificium, hostiam Deo placentem, etc., et signanter cum expressis verbis praedicant in Eucharistia vere offerri et immolari corpus et sanguinem Christi: quibus aperte evincitur Eucharistiae oblationem ab eis tanquam veram ac propriam corporis et sanguinis Christi immolationem habitam fuisse, non autem tanquam meram actionem sacram, qualis profecto est cuiuscumque sacramenti, puta, baptismi, dispensatio, quam tamen illi sacrificium non vocant.

Specialiter vero, relate ad illos ex recentionibus scriptoribus, qui sacrificii oblationem ad meram communis convivii participationem reducunt, vi cuius fideles divinae quodammodo fiant consortes naturae, in quo aiunt totam vim et effectum sacrificii consistere, advertendum est, hac sententia non solum penitus subverti genuinum ac traditionalem sacrificii conceptum, sed etiam tolli ab ipsa Crucis oblatione veram immolationis rationem, cum ad ultimam coenam, in qua missa instituta est, Crucis sacrificium necessario referatur [1].

17. — III. **Ex ratione.** — *a*) In immolatione Christi in Cruce, quae fuit sacrificium proprie dictum novae Legis, idem est sacerdos et hostia [2]. Atqui in celebratione huius mysterii non est idem sacerdos et hostia. Ergo in missa non habetur sacrificium novae Legis proprie dictum, quale consistit in immolatione Christi in Cruce [3].

1. Huiusmodi sententiam non ita pridem instaurare conatus est Excel. Dñus Iacobus Bellord, Epus Milev., in Ephem. *The American Ecclesiastical Review*, nn. Iul. et Sept., 1905, contra quem plures egregii scriptores genuinum sacrificii conceptum vindicarunt. Cf. quae scripsimus in tr. DE INCARNATIONE VERBI, t. II, Quaest. XXII, art. 3, p. 113. — 2. S. AUGUSTIN., l. IV de Trin., c. 7 et 14. — 3. 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, ad 3^m.

Resp. *conc. mai. Dist. min.:* sacerdos secundarius et ministerialis, *conc.;* primarius et principalis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — In celebratione Eucharistiae, sacerdos gerit imaginem Christi, qui est primarius et principalis offerens, in cuius persona et virtute sacerdos ministerialis verba pronuntiat ad consecrandum; et ita idem est sacerdos principalis et hostia.

β) Eucharistia est novae Legis testamentum[1]. Atqui testamentum, quo nobis aliquid a Deo confertur, differt a sacrificio, quo a nobis aliquid Deo offertur. Ergo Eucharistia non est proprium novae Legis sacrificium[2].

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* attenta ratione formali significativa utriusque, *conc.;* attenta identitate materiali, *nego. Nego conseq. et conseq.* — In sanctissima Eucharistia tria considerari debent, quae quidem secundum rationem formalem distincta, re tamen unum et idem sunt: nempe sacramentum, testamentum et sacrificium. Et quidem, in quantum est signum rei sacrae sanctificativum hominum, sacramentum est; in quantum vero est pignus externum pacti aut foederis sanguine Christi firmatum, quod Deus nobiscum pepigit, est testamentum; denique, in quantum est externa testificatio interni nostri obsequii ad Deum, est verum et proprie dictum sacrificium.

γ) Hostia quae offertur in sacrificium debet occidi. Atqui Christus in Eucharistia non occiditur. Ergo in Eucharistia non habetur proprie dictum sacrificium.

Resp. *Dist. mai.:* hostia quae in propria specie offertur, *conc.;* quae offertur in specie aliena, *nego. Conc. min. nego conseq. et conseq.* — Imprimis notandum est aliud esse victimam, aliud vero sacrificium. Porro, rationi victimae seu hostiae specialiter dictae convenit ut mactetur, et sic victima quae fit ex vivente per modum viventis debet esse cruenta: attamen potest subsistere ratio sacrificii absque reali mactatione, ut patet de libamentis in Levi-

1. Cf. MATTH., XXVI; LUC., XXII. — 2. Ita Lutherus.

tico praescriptis [1], in quibus ratio sacrificii servatur. Porro Christus in Eucharistia non offertur sub propria specie, sed sub aliena, scilicet panis et vini; et ideo licet non sit ibi victima nisi per repraesentationem, est tamen verum sacrificium, quo quidem non novum conditur testamentum, sed signaculum promitur testamenti iam conditi [2].

1. Cc. II, V, VII, XXIII. — 2. Cf. BELLARMIN., L. V, Cc. XXIV-XXXVI, ubi plures adversariorum rationes exponit ac solvit. Ceterae autem difficultates, ex ipsa natura sacrificii derivatae, ex inferius tradendis enodabuntur. — Interim lectorem monitum volumus, posse, ex hac doctrina, valida argumenta desumi ad illustrandam pro fidelium aedificatione, catholicam de sacrificio eucharistico doctrinam, quemadmodum praestitit MONSABRÉ, qui thomistico lacte enutritus, sequentia diserte protulit (Exposition du Dogme Catholique, Conf. LXX[e]. Le Sacrifice): *Mais quoique tu fasses, chrétien, même sous l'influence des grâces les plus exquises, tu n'obtiendras jamais la suprême perfection du culte que le Christ a mise en son Eucharistie. Fais suer à tous les arbres aromatiques leurs parfums et brûle-les, comme si tu voulais être consumé toi-même en l'honneur de ton Dieu; exprime ton respect, ton amour, ta reconnaissance, tes désirs, ta misère, par les plus nobles, les plus ferventes, les plus tendres, le plus touchantes prières; ouvre ton âme au Dieu dont tu veux honorer la sainte majesté et implorer la clémence, montre-la lui remplie des sublimes vertus, que tu as acquises au prix de mille sacrifices: appelle à ton secours tes frères en religion et, tous ensemble, faites retentir le monde d'un cantique qui ébranle la terre et les cieux; que l'Eglise triomphante se joigne à l'Eglise militante pour adorer et prier: tout cela ne vaut pas une messe.*

Une messe! c'est le résumé de tous les sacrifices antiques, dans lesquels se divisait le courant des actes religieux qui unissaient l'humanité à son Dieu, sacrifice unique, à la fois holocauste, hostie pacifique et victime pour le péché. Une messe! c'est le sacrifice de la croix qu'on rapproche de nous, pour épargner à notre foi une laborieuse enquête vers un passé lointain et des efforts trop facilement paralysés par notre faiblesse ou notre négligence. Une messe! c'est l'immolation d'un Dieu qu'on nous met, en quelque sorte, dans la main, afin que nous y prenions la part qui nous revient, dans le temps, les circonstances, la mesure et pour le but déterminés par la Providence. Une messe! c'est un Dieu qui adore, un Dieu qui rend grâce, un Dieu qui apaise, un Dieu qui implore. Une messe! encore une fois, c'est le perfectionnement suprême de notre culte religieux.

Articulus III. — *Utrum sacrificium eucharisticum sit ipsummet Crucis sacrificium.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam constet Deum, in nova Lege, aliquod sacrificium proprie dictum instituisse, idque aliud non esse nisi sacrificium eucharisticum, sequitur ut huius sacrificii natura propius investigetur. Quod ut congrue praestetur, primo loco necesse est ut examini subiiciatur relatio quam habet sacrificium eucharisticum ad sacrificium Crucis, ut sciatur num inter utrumque sit specifica ac substantialis differentia, ut voluit Suarezius, an potius sacrificium Eucharistiae perpetuet, reali ac substantiali identitate, sacrificium in Cruce semel oblatum.

2. — Crucis sacrificium. — Ad quod rite intelligendum, recolendum est, id quod in tractatu de Incarnatione traditur [1], passionem ac mortem Christi rationem habuisse veri ac proprie dicti sacrificii [2]. Revera, sacrificium proprie dicitur aliquid factum in honorem soli Deo debitum, ad eum placandum; Christus autem seipsum obtulit in passione pro nobis, et hoc ipsum quod voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex charitate maxima proveniens; unde manifestum est quod passio et mors Christi fuit verum sacrificium.

Ubi opportune notari potest differentia huius sacrificii a sacrificiis veteris Legis, in quibus nunquam offerebatur caro humana, cum sacrificia humani sanguinis haberentur tamquam immunda et nefanda [3]: in Cruce vero, ut veritas figuram excederet, caro, non animalium, sed ipsius Dei, fuit oblata pro nobis, ut sacrificium non solum per-

1. 3, Quaest. XLVIII, art. 3. — 2. Cf. supra, prologus huius quaest. n. 2. — 3. Ps. CV, 36, 37.

fectissimum, sed etiam aptissimum fieret. Ex eo enim quod caro Christi erat humanae naturae caro, congrue pro hominibus oblata est, a quibus etiam sub sacramento sumitur; ex eo etiam quod erat passibilis et mortalis, apta erat immolationi; per hoc quod erat sine peccato, efficax erat ad emundanda peccata; denique, ex eo quod erat caro ipsius offerentis, erat Deo accepta propter ineffabilem charitatem Christi [1].

3. — Sacrificium eucharisticum est realis commemoratio sacrificii Crucis. — Quae cum ita sint, iam satis apud omnes constare debet, sacrificium eucharisticum esse commemorativum sacrificii Crucis; et quidem non solum hoc sensu quod Deus illum ritum instituerit, tamquam medium quo homo oblationis in Cruce factae recordari posset, sed intrinseca quadam et obiectiva ratione: quo sensu in Concilio Tridentino dicitur Christus in coena instituisse visibile sacrificium, *quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum, repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret*.

Equidem, commemorativam hanc habitudinem non solum Scriptura, sed Patrum etiam traditio non obscure declarant. Scriptura quidem, ut quando, post institutam Eucharistiam, ait [2]: *Hoc facite in meam commemorationem,* quod praeceptum Apostolus replicat [3]: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat:* similiter Christus, in tradendo suo corpore et sanguine, iuxta Vulgatae nostrae lectionem, futurum tempus ponit, *tradetur, effundetur,* quasi alludens sacrificio cruento in Cruce mox complendo. — Ex Patribus, unus audiatur S. Gregorius Magnus, qui traditionem resonans, ait [4]: *Haec*

1. S. Thom., 3. Quaest. XLVIII, art. 3. ad 1m. — 2. Luc., XXII 19. — 3. 1 Cor., XI, 26. — 4. L. IV Dialog., c. 58, t. I, p. 1063. Venet., 1571.

namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat... Pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. — Quae cum ita sint, iam in promptu est ut dicamus

4. — PROP. — α) **Sacrificium eucharisticum est, secundum substantiam, idem ac sacrificium Crucis, β) solo offerendi modo differens.**

Hanc esse Ecclesiae doctrinam, patet ex sequentibus verbis Catechismi Romani [1]: *Unum itaque et idem sacrificium esse fatemur, et haberi debet, quod in missa peragitur, et quod in Cruce oblatum est; quemadmodum una est et eadem hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara Crucis semel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia duae sunt hostiae, sed una tantum; cuius sacrificium, postquam Dominus ita praecepit:* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *in Eucharistia quotidie instauratur.*

5. — **Doctrina S. Thomae.** — Hanc vero esse expressam S. Thomae sententiam, manifeste apparet ex ipsis eius verbis: scribit enim [2]: *Sacrificium quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio* [3]; cui cohaerenter, Caietanus scribit [4]: *Circa hoc caput, adverte errari in hoc quod existimatur sacrificium altaris esse diversum sacrificium a sacrificio quod obtulit Christus in Cruce: cum tamen in veritate sit illudmet, sicut est illudmet corpus Christi, et illemet*

1. P. II, c. IV, n. 76. — 2. 3, Quaest. XXII, art. 3, ad 2m. — 3. Cf. 3, Quaest. LXXXIII, art. 1. — 4. Opusc. t. II, tract. 2, de Euchar., c. 9.

sanguis Christi in altari, et in Cruce, et in caelo modo. Differentia autem est in modo offerendi. — Quod autem ista differentia substantialis non sit, sed solum accidentalis, ulterius explicat [1]: *Ex parte modi offerendi, licet sit diversitas, quia tamen iste modus, scilicet incruente immolare, non est secundum seipsum tamquam disparatus modus immolandi institutus, sed dumtaxat ut refertur ad cruentam in Cruce hostiam, consequens est apud sapientes et penetrantes, quod ubi unum nonnisi propter alterum, ubi unum dumtaxat est: consequens, inquam, non posse affirmari, proprie loquendo, duo sacrificia aut duas oblationes, immolationes, et quovis nomine appelles, esse in novo Testamento, ex hoc quod est in eo hostia cruenta, Christus in Cruce, et hostia incruenta, Christus in altari.* Ad rem quoque faciunt verba Card, Bona [2]: *Missa... est idem sacrificium quoad substantiam, eadem hostia, idem principalis offerens, licet diverso modo offeratur.*

6. — Prob. 1ª Pars. — Auctoritate. — Sacrificium eucharisticum esse ipsummet Crucis sacrificium, docet imprimis Concilium Tridentinum [3]: *Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Quibus cohaerenter legitur in Catechismo Romano [4]: *Unum et idem sacrificium esse fatemur et haberi debet, quod in missa peragitur, et quod in Cruce oblatum est, quemadmodum una est et eadem hostia... cuius sacrificium... in Eucharistia quotidie instauratur.*

Hanc autem fuisse, vel anteactis temporibus, Ecclesiae fidem, testatur S. Ioannes Chrysostomus, dicens [5]: *Annon nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed eius*

1. T. III, tract. 10 de Missae sacrif., c. 6. — 2. De Sacrificio Missae, cap. I. — 3. Sess. XXII, cap. 2. — 4. P. II, cap. IV, n. 76. — 5. In Hebr. Homil. XVII, n. 3.

mortem revocamus in memoriam, et ipsa una est, non multae. Quomodo una est, non multae? Quoniam semel fuit oblata... Eumdem semper offerimus, hoc est, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem unum est sacrificium... Ut ergo multis in locis oblatus (Christus), *unum est corpus et non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium.*

7. — **Ratio theol.** — Ubi est α) idem sacerdos offerens, β) eadem victima oblata, γ) eadem oblatio sacrifica, ibi est unum idemque sacrificium. Atqui haec tria eadem substantialiter sunt in eucharistico sacrificio et in oblatione Crucis. Ergo sacrificium eucharisticum est idem substantialiter cum sacrificio Crucis.

Prob. min. α) Quod idem sit principalis offerens in Eucharistia et in Cruce, licet offerens ministerialis in Eucharistia sit diversus, ita exponit Catechismus Romanus [1]: *Unus atque idem sacerdos est Christus Dominus; nam ministri qui sacrificium faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, cum eius corpus et sanguinem conficiunt: id quod et ipsius consecrationis verbis ostenditur. Neque enim sacerdos inquit:* HOC EST CORPUS CHRISTI, *sed:* HOC EST CORPUS MEUM, *personam videlicet Christi Domini gerens, panis et vini substantiam in veram eius corporis et sanguinis substantiam convertit.* — At quo pacto accipiendum est, Christum principaliter operari in sacrificio eucharistico? Num, hac ratione tantum, quia hoc sacrificium ipsemet instituit eique vim fructiferam ex merito passionis suae indidit? Minime; sed ulterius quia, tamquam agens ministeriale *per excellentiam,* influit actu in ministerio sacerdotali in ordine ad sacrificium offerendum, eo videlicet pacto quo omnis operatio vitae spiritualis, sive in illuminando mentes, sive in sanctificando animas, Christum principalem

1. P. II, c. IV, n. 77.

habet auctorem [1]. *Anima Christi,* ait Angelicus [2], *secundum quod est instrumentum Verbi ei uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quae in caelis, sive quae in terris sunt.* Inter huiusmodi autem miraculosas immutationes eminet profecto eucharisticum sacrificium.

β) Quod eadem sit, in utroque sacrificio, victima oblata, patet: quandoquidem Christus *corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit* [3]. Quocirca longe a vero aberrant qui, cum Suarez [4], ponunt species eucharisticas intrinsece pertinere ad rem oblatam: quo in casu profecto sustineri haudquaquam posset eucharisticam victimam eamdem substantialiter esse ac victimam Crucis. Esto enim panis et vinum ad oblationem sacrificalem, tamquam materia ex qua res proprie offerenda consecratur, pertineant, tamen ad ipsam hanc rem intrinsece non pertinent: aliud quippe est corpus Christi offerri sub speciebus tamquam visibilibus signis, aliud est offerri corpus una cum speciebus. *Mixtio haec,* advertit opportune Al. Ad. Paquet [5], *et Ecclesiae contradicit, definienti unam eamdemque esse hostiam Crucis et altaris, et praecellentem sacrificii eucharistici dignitatem, qualem christiani omnes intelligunt, offendit.*

γ) Tandem, quod eadem sit, in altaris et Crucis sacrificio, substantialiter oblatio sacrifica seu immolatitia, salva scilicet differentia in modo offerendi, ex infra dicendis apparebit [6]: nimirum, quae oblatio in Cruce facta est, eadem nunc sacerdotum ministerio perseverat, quatenus in altari corpus Christi ut mactatum, et sanguis ut effusus Deo offertur: unde, in novo Testamento, ut advertit Ca-

1. Cf. 3, Quaest. LXIV, art. 3. — 2. Ibid., Quaest. XIII, art. 2. — 3. Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 1. — 4. Disputatio XXV, sect. I, n. 9. 5. Disput. VIII, Quaest. I, art. 3, p. 410. — 6. Art. sequenti.

ietanus[1], *non repetitur sacrificium seu oblatio, sed perseverat immolatitio modo unicum sacrificium semel oblatum.* Ceterum, sustineri non posset id quod in Concilio Tridentino ac in Catechismo Romano docetur, videlicet hostiam, in Cruce immolatam, eamdem reperiri in sacrificio altaris, nisi oblatio sacrifica substantialiter esset eadem: hostia quippe constituitur talis per immolationem.

8. — Exponitur 2ª Pars. — Ex duplici capite differentia assignari potest inter sacrificium Crucis et sacrificium altaris. — *Primo,* ex parte modi oblationis, et hoc sub duplici respectu: α) Christus in Cruce oblatus est, attento modo existendi quem habet naturaliter, in altero vero offertur, servato modo existendi sacramentaliter sub velamine specierum panis et vini; β) in Cruce oblatus est morte cruenta pro nobis crudeliter mactatus, in altari vero modo incruento quotidie sub utraque specie immolatur[2]. *Secundo,* ex parte effectus: nam in Cruce solutum est pretium nostrae redemptionis; per Eucharistiam vero, ut est sacrificium, nobis applicantur fructus quos per modum causae universalis sacrificium Crucis nobis procuravit. *In hoc sacramento,* ait Angelicus[3], *recolitur passio Christi, secundum quod eius effectus ad fideles derivatur.*

9. — Verba Dionysii Cartusiani. — Digna sunt quae hoc loco recitentur verba Dionysii Cartusiani qui, commentans hunc locum Canonis: *Iube haec perferri per manus sancti Angeli tui,* scribit[4]: *Angelus ferre dicitur corpus et sanguinem Christi in sublime altare Dei: non quod ea substantialiter tollat et secum asportet, sed quia tantum sacramentum Deo pro nobis op-*

1. T. III, tract. 10, de Missae sacrificio, c. 6. — 2. Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 2. — 3. 3, Quaest. LXXXIII, art. 2, ad 1m. — 4. In opusc. Expositio missae, art. XXXV. Tornaci. 1908, t. XXXV, p. 373.

ponit tamquam efficacissimum medium adipiscendi gratiam desideratam, et exstinguendi indignationem seu ram divinam, sicque sacrificium nostrum recommendando ac commemorando coram Deo, procurat nobis huius sacramenti fructuosos effectus. Est igitur sensus: IUBE HAEC, *id est corpus et sanguinem Christi, preces quoque et vota nostra,* PERFERRI, *id est portari non substantialiter, sed repraesentative per modum commemorantis atque orantis,* PER MANUS SANCTI ANGELI TUI, *id est per obsequium Angeli qui divinorum celebrationi interesse credendus est... Vel,* PER MANUS SANCTI ANGELI, *id est per ipsum Christum, qui est magni consilii Angelus... Nam sicut Christus in hoc sacramento est dator et donum (ipse enim dat nobis seipsum), sic quoque est oblatio et oblator, quia per ipsum fit sacrificium nostrum Deo Patri acceptum, eo quod opera nostra bona fundentur in merito eius.*

ARTICULUS IV. — *Utrum essentia sacrificii eucharistici consistat in consecratione.*

1. — Ratio articuli. — Vindicata iam habitudine identitatis inter sacrificium altaris et sacrificium Crucis, restat ut inquiratur in quonam formaliter eucharistici sacrificii essentia reponatur. Ubi primo notetur, essentiam huiusmodi consistere debere in quadam actione: atqui actionum, quae in offerendo hoc sacrificio occurrunt, alia est ipsa consecratio; alia consecrationem praecedit, quae est oblatio vocalis[1]; alia subsequitur, quae est fractio, mixtio, sumptio celebrantis et distributio: ergo quaerendum modo est in quanam ex hisce actionibus essentia sacrificii altaris consistat.

1. Dicimus, *oblatio vocalis*: sat enim constat sacrificium, quod est quid sensibile, in oblatione mentali haudquaquam posse consistere.

2. — Oblatio vocalis, praecedens consecrationem, non pertinet ad essentiam sacrificii eucharistici. — Porro, iam sat evidenter constare debet, essentiam sacrificii consistere haudquaquam posse in oblatione quae consecrationem praecedit, cum tunc victima nondum sit in altari praesens. Rursus non constat Christum, in ultima coena sacrificantem, vocaliter obtulisse: nam gratias quidem egit Patri, ac bona precatione benedixit panem, sic adumbrans illam benedictionem quae a nobis praemittitur consecrationi; sed quod verbis oblationem expresserit, non liquet. Demum advertatur quod, licet cum ratione essentiali sacrificii coniuncta sit aliqua oblatio, tamen quod haec oblatio verbis exprimatur, non est necesse; nam, sicut ad honorandum aliquem virum, non est necesse dicere: *Honoro,* ita ad offerendum sacrificium, non est necesse dicere: *Offero.* Sed nec absolute requiritur oblatio mentalis in actu signato, si adsit in actu exercito; id est si actio sacrificalis exerceatur, quae de se ordinetur ad Deum ut supremum Dominum recognoscendum atque colendum [1].

3. — Nec fractio, nec mixtio, nec sumptio quae fit a celebrante, nec distributio pertinet ad essentiam sacrificii eucharistici. — De fractione et mixtione, quod non pertineant ad essentiam sacrificii eucharistici, patet ex hoc quod, si hostia in calicem ante fractionem caderet, non propterea deesset sacrificium, tunc enim hostia non frangeretur, nec de intentione misceretur, et tamen verum esset sacrificium: unde illae actiones fiunt ut caeremoniae, non autem tanquam partes essentiales. *Fractio hostiae consecratae,* ait S. Thomas [2], *et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio quae significat populum; et ideo horum*

1. Cf. Sylv., in 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, Quaer. II, concl. I. Cf. etiam dicenda infra, p. 96, n. 10. — 2. 3 Quaest. LXXXIII, art. 6, ad 6m.

praetermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti.

Similiter, quod sumptio quae fit a celebrante non sit de essentia sacrificii, probatur, primo, quia iam oblatum fuerat a Melchisedech sacrificium panis et vini, priusquam aliquis de illo comederet. Pariter, in veteri Lege [1], sacrificia quaedam erant effusionis vini, sanguinis aut aquae quae minime sumebantur. Rursus, Pontifex semel in anno introiens in sancta, offerebat sanguinem [2]; hostiae quoque offerebantur, quae nec ipso die, neque ipso in loco tabernaculi sumebantur; unde earum sumptio non pertinebat ad essentialem rationem sacrificii quod in tabernaculo fuerat oblatum. Denique, si miraculose corpus Christi in altari sub specie carnis appareret, aut sanguis sub specie sanguinis, ex doctrina S. Thomae, sumendum non esset [3]: unde iam censetur oblatum sacrificium [4]. — Hoc tamen non tollit quin sumptio quae fit a sacerdote, sit sacrificii pars integralis principalis, ut infra dicetur.

Demum, quod distributio Eucharistiae non pertineat ad essentiam sacrificii, apparet ex hoc quod non iussit Christus distributionem fieri quotiescumque sacrificatur: unde et Concilium Tridentinum probat et commendat illas etiam missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat.

4. — PROP. — **Essentialis ratio sacrificii eucharistici consistit in consecratione utriusque speciei.**

Imprimis, haec veritas deduci potest ex Christi verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* quibus verbis sacerdotibus praecepit offerre sacrificium, ut Tridentinum docet [5]. Atqui verbis huiusmodi Christus Apostolis

1. Levit., II, V, VII, XXIII. — 2. Hebr., IX, 12. — 3. 3, Quaest. LXXXII, art. 4, ad 3m. — 4. Fr. Sylvius, h. l., concl. III. — 5. Sess. XXII, cap. 1.

suis consecrationem proprie praecepit: consecratio enim id proprie est quod Evangelistae commemorant, per quam etiam repraesentatur illius passio. Ergo in consecratione proprie consistit ratio sacrificii. — Rursus, per illa verba Christus contulit Apostolis potestatem sacrificandi, per quae illos constituit sacerdotes. Atqui haec sunt praecise verba: *Hoc facite,* etc., per quae Apostoli potestatem consecrandi acceperunt. Ergo in potestate consecrandi continetur ipsamet potestas sacrificandi.

5. — Patrum auctoritas. — Idipsum non obscure Patrum testimonio traditur: puta, S. Irenaei, cum affirmat Christum docuisse novi Testamenti oblationem, quando dixit: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus.* Similiter, S. Ioannes Chrysostomus ait[1]: *Vox illa* (scilicet, HOC EST CORPUS MEUM), *semel prolata ad unamquamque mensam ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum eius praestat sacrificio firmitatem*, hoc est, sacrificium perfectum efficit. S. quoque Gregorius Nazianzenus ait[2]: *O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris, et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem Dominicum, vocem adhibens pro gladio.* Ἀλλ' ὦ θεοσεβέστατε, μὴ κατόκνει καὶ προσεύχεσθαι καὶ πρεσβεύειν ὑπὲρ ἡμῶν, ὅταν λόγῳ καθέλκῃς τὸν Λόγον, ὅταν ἀναιμάκτῳ τομῇ σῶμα καὶ αἷμα τέμνῃς δεσποτικόν, φωνὴν ἔχων τὸ ξίφος. Denique audiatur S. Gregorius Magnus, qui ait[3]: *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena caelestibus iungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*

1. Homil. De Prodit. Iudae, n. 6. — 2. Epist. CLXXI Amphilochio. Opp. Paris., 1842, t. II, p. 140. — 3. L. IV Dialog., c. 58, t. I, p. 1063.

Quod autem haec sit S. Thomae doctrina, ambigi nullatenus potest: scribit enim[1]: *Consecratio chrismatis vel cuiusque alterius materiae non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiae;* et rursus[2]: *Consecratione huius sacramenti sacrificium offertur;* iterumque[3]: *Hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium Deo offertur.*

Quocirca Ecclesia, in Canone Missae, tunc tantum petit hoc sacrificium esse Deo acceptum, quando iam consecratio peracta est: orat enim: *Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere;* ubi mentionem introducit de sacrificio Abel, Abrahae et Melchisedech.

6. — Ratio theol. — I. Cum plures sint, in sacrificio eucharistico, actiones quas sacerdos peragit, in illa dicendum est consistere essentiam sacrificii, quae proprie fit in persona Christi: sacerdos enim, ut sic, gerit personam Christi. Atqui alias quidem actiones, ut orationes, oblationem vocalem, mixtionem, communionem et distributionem, sacerdos in propria persona peragit; sola autem consecratio est, in qua sic loquitur, quasi esset ipse Christus. Ergo in consecratione consistit essentia sacrificii eucharistici.

II. Sacrificium eucharisticum est repraesentativum sacrificii Crucis. Atqui haec repraesentatio formaliter fit per consecrationem, qua corpus et sanguis, quantum est ex vi verborum, seorsim ponuntur sub diversis speciebus, tanquam partes victimae. Ergo ipsa essentia sacrificii eucharistici consistit in consecratione utriusque speciei.

7. — Quomodo in consecratione reperiuntur ea quae ad essentiam sacrificii pertinent. — Hic autem iuvat advertere, in consecratione nihil eorum desiderari quae

1. 3, Quaest. LXXXII, art. 4, ad 1m. — 2. Art. 10. — 3. Ibid., ad 1.m

intelliguntur pertinere ad essentiam sacrificii proprie dicti. Primo enim, fit ibi res sacra κατ' ἐξοχήν, nempe repraesentatio passionis dominicae, ad honorem et cultum Dei, ad divinae potentiae, sapientiae ac maiestatis demonstrationem atque recognitionem ordinata; deinde fit oblatio saltem actu exercito; eo enim ipso quod munus per consecrationem praesens sistitur, exhibetur atque praesentatur Deo; denique mutatio quaedam habetur, talis scilicet qualis ad essentiam sacrificii requiritur.

Circa quod ultimum, notandum est cum Sylvio[1], mutationem hic ex multiplici titulo haberi. Primo, in hoc quod res ex profana fit sacra, ex pane scilicet corpus Christi, et quidem, ex eo quod res ista est sub specie panis, ordinatur ad comestionem; secundo, praecipue, quia corpus et sanguis Christi incipiunt ibi et eo modo sacramentali esse, ubi et quo modo prius non erant; tertio, quia quantum est ex vi verborum consecrationis, corpus et sanguis sistuntur et exhibentur seorsum unum ab altero, sicut in Cruce separatus fuit sanguis a corpore, atque ita Christus mystice et incruente immolatur.

8. — **Solvuntur tacitae obiectiones.** — I. Nec obstat quod corpus Christi secundum se non mutetur: satis enim est quod, considerata vi verborum, corpus sine sanguine et anima, sanguis vero sine corpore et anima praesens sistatur, cum sacrificium eucharisticum sit formaliter commemorativum et repraesentativum sacrificii Crucis[2].

II. Pariter obiicienti, in consecratione nullam realiter separationem corporis a sanguine haberi, ideoque nullam immolationem, — *respondetur,* sufficere ad sacrificium vere ac proprie habendum, ut mors cursu naturae sequi debeat vi actionis sacrificatricis; quandoquidem, ut observat Gonetus[3], *si in veteri Lege post illatum vulnus le-*

1. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, Quaest. II, concl. III. — 2. SYLVIUS, hoc loco. — 3. De Sacrificio Missae. Disput. XI. Clypeus, t. V, p. 317, Col. Agrip., 1671.

thale, Deus miraculose conservasset victimam, adhuc verum ibi fuisset sacrificium; quia ex eo quod vulnus illud fuisset lethale, non minus illa actio significasset dominium Dei in vitam et mortem, quam si de facto sequuta fuisset mors [1].

III. Demum advertenti, corpus Christi non posse dici sacrificari sub speciebus, cum id quod offertur debeat praeexistere sacrificationi, corpus autem Christi sub speciebus non sit ante consecrationem; — *respondetur,* nos protestari posse supremum Dei principatum nostramque subiectionem, non solum actione qua res praeexistens destruitur aut immutatur, sed etiam actione qua res novo modo constituitur atque praesens sistitur.

9. — Verba Bossuet. — Possunt hic utiliter recitari egregia verba quae habet hac super re Bossuet [2]. *Quelle simplicité du sacrifice chrétien! Je ne vois qu'un pain sur l'autel... un peu de vin dans le calice. Il n'en faut pas davantage, pour faire le sacrifice le plus saint, le plus auguste, le plus riche qui se puisse jamais comprendre. Mais n'y aura-t-il point de chair, n'y aura-t-il point de sang dans ce sacrifice?... Il y aura de la chair, mais non pas la chair des animaux égorgés; il y aura du sang, mais le sang de Jésus Christ: et cette chair et ce sang seront mystérieusement séparés. — Il dit:* CECI EST MON CORPS; *ce n'est plus du pain, c'est ce qu'il a dit. — Il dit:* CECI EST MON SANG; *ce n'est plus du vin dans le calice, c'est ce que le Seigneur a proféré: c'est là son corps, c'est là son sang; ils sont séparés:*

1. *Cette solution,* scribit R. P. ED. HUGON, *peut s'éclairer d'un exemple saillant, celui du martyre. Selon l'enseignement de nombreux auteurs, il n'est pas requis pour la couronne du martyre que la mort suive effectivement, il suffit qu'il y ait blessure capable d'entrainer le trépas, lors même que par miracle, la mort serait arrêtée, comme on le raconte de sainte Thècle, la première martyre.* Le Sainte Eucharistie, p. 327. Paris, 1916. — 2. Méditation sur l'Evangile. La Cène, LVII[e] jour.

oui, séparés; le corps d'un côté, le sang de l'autre; la parole (de la consécration) *a été l'épée, le couteau tranchant qui a fait cette séparation mystique. En vertu de la parole, il n'y aurait rien là que le corps et rien là que le sang: si l'un se trouve avec l'autre, c'est à cause qu'ils sont inséparables, depuis que Jésus est ressuscité; car depuis ce temps-là, il ne meurt plus. Mais, pour imprimer sur ce Jésus qui ne meurt plus le caractère de la mort qu'il a véritablement soufferte, la parole vient qui met le corps d'un côté, le sang de l'autre, et chacun sous des signes différents; le voilà donc revêtu du caractère de la mort, ce Jésus, autrefois notre victime par l'effusion de son sang, et encore aujourd'hui notre victime d'une manière nouvelle, par la séparation mystique de ce sang d'avec ce corps.*

10. — Oblatio absolute necessaria non est. — Porro, quamvis praescriptum sit ut sacerdos consecrationi oblationem saltem mentalem coniungat, quatenus intentionem habeat hoc, quod consecrando facit, Deo in sacrificium sistere, tamen absolute loquendo, huiusmodi oblatio ad essentiam sacrificii necessaria non est, cum virtualiter claudatur in ipsa specierum consecratione, sicut et voluntas sacrificandi. Quocirca, si sacerdos ita malus esset, ut consecrare volens, omnem tamen oblationem ac intentionem sacrificandi positive excluderet, revera sacrificaret, cum ratio sacrificii, etsi distincta a ratione consecrationis, tamen ab ipsa separari non possit, quemadmodum ratio sacramenti a ratione contractus in matrimonio christiano [1]. — *Obiicienti* quod oblatio per intentionem Deo facta, est id per quod, tamquam per formale, completur ratio sacrificii consistentis in consecratione tamquam in materiali [2], — *respondetur,* oblationem etiam in hoc casu non deesse, scilicet

1. Vide supra, p. 90, n. 2. — 2. Ita Fr. Sylvius, loco cit.

ex parte Christi Domini, qui est principalis offerens huius sacrificii.

11. — Sumptio iure divino praescripta. — Quamvis autem sumptio non sit necessaria tamquam pars essentialis huius sacrificii, est tamen de iure divino praescripta, tamquam pars integralis, ad illius scilicet complementum atque perfectionem: quocirca sacerdos offerens participare debet de victima oblata, ut ait S. Thomas [1]; qui propterea concludit necesse esse sacerdotem, quotiescumque consecrat, sumere integre sacramentum; quinimmo Ecclesia semper iudicavit sumptionem adeo esse necessariam, ut si forte sacerdos, peracta consecratione moriatur, vel aliter a sumptione impediatur, alius ei substitui debeat, qui sacrificium consumat [2], et hoc quidem, quia hoc sacrificium offertur per modum cibi et potus. — Attamen, quod realiter distinguatur immolatio a sumptione, significat Ecclesia, dum in festo Epiphaniae haec recitat [3]: *Quod iisdem muneribus declaratur, immolatur et sumitur;* ubi sumptio distinguitur ab immolatione tamquam quid subsequens. Pariter, S. Cyrillus Hierosolymitanus dicit, post transmutationem panis et vini, confectum esse hoc sacramentum et cultum incruentum [4].

12. — In Parasceve sacrificium non fit. — Ex dictis quoque sequitur, in Parasceve Domini, deficiente consecratione, non fieri sacrificium; unde in officio illius diei, non recitatur oratio qua petere solet sacerdos, *ut sacrificium quod divinae maiestati obtulit, ei sit acceptabile.* — Nec obstat quod nominatur sacrificium: sermo enim est de sacrificio non quod tunc offertur, sed quod pridie oblatum et inchoatum, iam est perficiendum per sumptio-

1. 3, Quaest. LXXXII. art. 4. — 2. Cf. Missale Rom., De defect. etc. tit. X. n. 3. — 3. In Missa, ad Secret. — 4. Catech. XXIII Mystag. V, n. 8. Opp. t. I, p. 327.

nem hostiae; et, ut advertit Sylvius [1], Deus rogatur ut id, quod ad plenam integritatem sacrificalis actionis adhuc restat peragendum, acceptabile sit Deo pro sacerdote et aliis.

Ideo autem a sacrificio offerendo illa die Ecclesia sese abstinet, quia cum tunc recolatur passio Christi prout est realiter gesta, hinc congruum est ut illud quod est eiusdem passionis repraesentativum, tunc non fiat. *Hodie non sacrificemus,* ait Rupertus Abbas [2], *dum nobis hostia tollitur de manibus; non sacrificent amici, dum trucidant inimici.*

13. — **Quandonam fructus sacrificii eucharistici percipitur.** — Ex dictis etiam deduci potest, fructum sacrificii eucharistici incipere percipi, peracta mox utriusque speciei consecratione; plenum vero fructum Eucharistiae, ut sacrificium est, percipi tum a sacerdote, tum a fidelibus, in sumptione; unde sacerdos post consecrationem orat: *Ut quotquot, ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur.* — Diximus, fructum Eucharistiae *ut sacrificium est:* nam evidens est, eiusdem fructum, ut sacramentum est, solum in sumptione percipi, et quidem a solis sumentibus, ut in tractatu de Eucharistia explicatum est [3].

14. — **Consecratio utriusque speciei est de essentia huius sacrificii.** — Porro diximus, essentiam sacrificii eucharistici consistere in consecratione *utriusque speciei:* adeo ut, nisi utraque species consecretur, neque verum sit sacrificium, neque fructus sacrificii habeatur. Revera, eo modo debet offerri sacrificium, et sub illis speciebus, quo modo et sub quibus speciebus illudmet Christus ob-

1. Loco cit. — 2. L. VI de Div. Officiis, cap. 3. Opp. t. II. Coll. Agr., 1577, p. 81. — 3. Quaest. LXXIX, art. 7, n. 2, p. 391.

tulit et offerri mandavit. Atqui non solum Christus, ut figuram Melchisedech adimpleret, seipsum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, verum etiam Apostolis necnon Apostolorum in sacerdotio successoribus praecepit, ut sub earum rerum symbolis offerrent, sub quibus ipsemet obtulit, ut ait Concilium Tridentinum [1].

Huius autem rei ratio est, quia nonnisi per utriusque speciei consecrationem expressa habetur repraesentatio cruenti sacrificii quod in Cruce Dominus noster obtulit pro salute mundi. Revera, in Cruce non fuit solum corpus aut solus sanguis, sed utrumque, unum scilicet seorsim ab altero: quapropter, in eucharistico sacrificio utrumque debet etiam fieri praesens, et quidem, quantum est ex vi verborum consecrationis, unum ab altero separatum. Igitur, quamvis per consecrationem unius speciei fiat iam aliquid sacrum, hoc tamen sacrificium non est nisi inchoative, quod perinde imperfectum manet, quousque utraque species consecratur: sicut sacrificium olim mansisset essentialiter imperfectum, si hostia quae occidi simul et comburi debebat, fuisset post occisionem incombusta relicta [2].

Notanda hic sunt S. Thomae verba [3]: *Quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra: nam... hoc valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione.* Et rursus [4]: *In passione Christi, cuius hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliae partes corporis ab invicem separatae, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur* [5]: NEC OS ILLIUS CONFRINGETIS. *Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.*

1. SESS. XXII, cap. I. — 2. FR. SYLVIUS, loco cit. — 3. 3, Quaest. LXXVI, art. 2, ad 1m. — 4. Ibid., ad 2m. — 5. EXOD., XII, 46.

15. — Quaestio. — *Utrum licitus sit usus missae, sic dictae siccae?*

Resp. *Sicca*, vel etiam, eo quod in navi celebrari solebat, *navalis* vel *nautica*, dicebatur olim missa illa quae fiebat sine Eucharistia, id est, sine corpore et sanguine Christi, cum introitu, collecta, epistola, evangelio et canticis, a sacerdote sacris vestibus induto, et omnia de more recitante, praeter canonem et ea quae ad oblationem pertinent: interdum etiam pro defunctis offerebatur. Huiusmodi autem consuetudo nunquam ab Ecclesia probata est, cum falsitatem in re contineat, sacerdote simulante omnia quae sunt celebrantis, nec tamen revera celebrante aut significante. Continet etiam falsitatem in verbis, cum legantur ante canonem orationes quae promittunt sacrificium, et postea gratiarum actiones referantur, quasi sacrificium fuisset revera oblatum et sumptum. Quocirca tales missae, quarum utique origo simplici mediae aetatis fidei debetur, realiter non sunt nisi irrisiones Dei et illusiones Christi, ut loquitur Ioannes Eckius [1], quia scilicet simulatur et ostenditur illa actio qua Christus Deo Patri offertur, nec tamen exhibetur, quod in Dei et Christi iniuriam nequit non cedere. Unde de talibus missis nil habetur in Rituali Ecclesiae Romanae; manualia vero quae dicuntur formas eiusmodi missarum praescribere, non tam ab Episcopis, quam ipsis fortasse dormientibus, ab eorum vicariis prodierunt, ait Sylvius [2].

16. — Solvitur tacita obiectio. — *Obiicienti*, feria sexta Parasceves fieri eiusmodi missam imperfectam, — facile *respondetur*, illius diei officium partem quamdam esse et consummationem sacrificii pridie oblati; unde cum divina mysteria revera sumantur, recte fit tale officium

1. Art. 21, in Annotat. l. Caesari obl. — 2. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 2. Cf. BENEDICT. XIV, de S. Missae Sacrif., l. III, c. VI, n. 8.

ad altare, tamquam ad mensam Domini: in missis autem siccis deest omnino sacramentum.

17. — Scholion. — Cum huiusmodi autem missae siccae celebratione confundi minime debet pia illorum fidelium praxis qui, cum sacrosancto missae sacrificio in Ecclesia interesse nequeunt, analogas preces domi recitare non omittunt, quibus spiritu sese sacerdoti sacrificanti uniunt, inde uberes sanctificationis fructus relaturi. Similiter valde commendanda est illa quorumdam piorum sacerdotum praxis qui, morbo vel alia causa impediti a celebratione sacrosancti missae sacrificii, pro sua privata devotione preces ex missali depromptas, recitare solent diei liturgiae respondentes; dummodo ab illis orationibus se abstineant, quae actualem sacrificationem designant, cetera vero in mente sua referant vel ad illa sacrificia quae actu in aliqua orbis parte peraguntur, vel ad tempus quo postquam convaluerint, celebrare rursus poterunt.

ARTICULUS V. — *Utrum in eucharistico sacrificio habeatur vera et proprie dicta immolatio.*

1. — Ratio articuli. — Cum supra dictum sit, eucharisticum sacrificium, quod in missa peragitur, esse ipsummet sacrificium Crucis, nulli autem dubium sit, in Crucis sacrificio veram adfuisse immolationem, non esset cur praedicta quaestio proponeretur, nisi ex mox traditis resultaret circa corpus et sanguinem Christi nullam substantialiter induci mutationem, cum per utriusque speciei consecrationem, Christus, ut fides docet, totus et integer sit realiter praesens, scilicet per concomitantiam. Igitur, hac consideratione moti, diversi diversas proposuerunt sententias, quas recitasse simul et refutasse non pigebit, in quo quidem iugiter prae oculis habere debemus haec

verba Concilii Tridentini [1]: *In divino hoc sacrificio quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit.*

2. — Sententiae non probandae. — I. Sententia Vasquezii. — Primo loco recenseri potest sententia Vasquezii [2], qui, distinguens inter sacrificium absolutum et relativum, posuit missae sacrificium, utpote relativum, in eo formaliter consistere, quod per consecrationem repraesentat sacrificium Crucis; quasi huiusmodi repraesentatio per se sufficiat ad salvandam rationem veri sacrificii, seu recognitionem dominii divini, quod iam per absolutum sacrificium declaratum est. — At quod haec explicatio non sufficiat, patet. Enimvero, sacrificium quodcumque, sive absolutum, sive relativum aut commemorativum, nequit veri sacrificii rationem induere, nisi in eo reperiatur nota specifica omnis proprie dicti sacrificii. Atqui nota specifica omnis sacrificii proprie dicti est significatio supremi Dei dominii per realem hostiae oblatae immutationem: quae certe immutatio deest in pura illa repraesentatione, de qua loquitur Vasquezius. Ergo praedicta repraesentatio de se non sufficit ad salvandam rationem veri sacrificii. Accedit affinitas huius sententiae cum errore dicentium *missae sacrificium esse nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti,* quem errorem Concilium Tridentinum condemnavit [3]. Igitur, cum in hac sententia minime verificetur id quod docet Tridentinum, scilicet Christum in hoc sacrificio contineri et *incruente immolari,* ideo reiicienda est.

Ad hanc Vasquesii opinionem reduci potest aliquorum recentiorum theologorum opinio, autumantium in missae sacrificio, utpote relativo, non absoluto, nullam claudi vi-

1. Sess. XXII, cap. 2. — 2. In 3am Part., Disp. 220-222, c. 7 et seqq. Vide supra, art. 2, n. 13. — 3. Sess. XXII, can. 3.

ctimae immolationem proprie dictam, illudque in hoc consistere, quod Christi passio perfecta imagine repraesentatur: sub panis specie, corporis passio; sub vini, passio sanguinis: ex qua quidem imagine, tamquam ex opere operato, effectus sacrificii Crucis sacerdoti conficienti et fidelibus adstantibus applicantur [1].

At, ut optime advertit R. P. Hugon [2], si ita foret, inferri deberet verum quoque haberi sacrificium si, puta, Christus crucifixus miraculose in altari appareret, nobisque suae mortis effectus applicaret: siquidem ibi haberetur illius realis presentia, expressa quoque illius passionis imago, necnon communicatio fructuum beatae illius passionis. At vero constat, in hoc casu, non plus quam meram sacrificii crucis imaginem, vel repraesentationem, etsi fructuosam, minime autem verum sacrificium haberi, quale postulat in missae sacrificio fides Ecclesiae.

3. — II. **Sententia Suarezii.** — Suarezius autem, cum altaris sacrificium a ceteris sacrificiis, tamquam singularissimum discrevisset, illius formalem rationem in hoc solum repositam voluit, quod virtute actionis consecrativae res nobilissima Deoque acceptissima, Christus, in honorem Dei praesens sistitur in altari [3]. — At contra, ipsa sacrificii proprie dicti notione, unanimi theologorum, imo omnium populorum, sensu firmata, continetur, rem oblatam seu victimam, non utcumque praesentem sisti debere, sed taliter, ut in ea destructio vel saltem aliqualis immutatio inducatur.

Nec valet obiici, nullam requiri in victima seu re oblata destructionem vel immutationem, quando haec sit res nobilissima in tota creatione, quale profecto est corpus et sanguis Christi: non enim ob nobilitatem victimae de-

1. Ita Coghlan, De Sanctissima Eucharistia, p. 465. — 2. Op. cit. p. 321. — 3. In 3.am P. S. Th. Q. LXXXIII, art. I. Disp. LXXV, sect. V, p. 970, Lugduni 1614.

bet formalis sacrificii notio praeteriri: insuper in hoc casu minime habetur *incruenta immolatio* a Tridentino requisita.

Nec iterum dicatur, immutationem haberi in sacrificio missae, per destructionem substantiae panis et vini, qua destructione supremum Dei in creatura dominium asseritur: — nam in eucharistico sacrificio victima non est panis neque vinum, sed solum corpus et sanguis Salvatoris: immutatio vero, de qua agimus, in ipsa victima, non autem in re aliena induci debet.

4. — III. **Sententia Lessii.** — Celebrior evasit, et plurium theologorum suffragio firmata, sententia Lessii[1], eatenus missam esse verum propriumque sacrificium, quatenus vi verborum consecrationis seorsum in altari ponitur corpus a sanguine, quasi verba illa gladii materialis vicem suppleant, ponendo in altari corpus Christi sub specie panis, et sanguinem sub specie vini, licet, propter concomitantiam partium, vera separatio non sequatur. — At contra est, quod talis victimae mactatio seu immolatio realis non est, sed solum mystica; sacrificium autem sine reali quadam victimae immutatione minime sustinetur.

Obiicienti, consecrationem ex se secumferre veram separationem corporis a sanguine, etsi haec separatio per naturalem concomitantiam prohibeatur, — *respondetur,* non illam destructionem vel separationem quae haberi posset, sed quae revera habetur, sacrificii significationem complere.

Huic Lessii sententiae propius accedit sententia Card. Billot[2], qui distinguens rem in propria specie, a re in aliena specie mactata, eatenus profitetur praedictam mysticam mactationem sufficere ad veram sacrificii rationem constituendam, quatenus separatio illa mystica cor-

1. De perfection. divinis, l. XII, n. 97. — 2. De Eccles. Sacram., Romae, 1906, t. 1. p. 577.

poris a sanguine censeatur Christum constituere in externo quodam habitu mortis et destructionis, proprio rei sub aliena specie mactatae.

At, uti advertit Al. Ad. Paquet [1], huiusmodi mactatio, utcumque consideretur, mystica dumtaxat manet, nec proinde sufficiens fundamentum videtur, quae constituat insigne illud novae Legis sacrificium, a veris ac realibus immolationibus antiquorum sacrificiorum praefiguratum. — Sed nec verum est, separationem sacramentalem sufficere, ut ponat Christum in externo habitu mortis et destructionis: nam, ut scite advertit R. P. Ed. Hugon [2], si Christus nunquam passus et mortuus esset, nihilominus potuisset instituere sacramentum corporis et sanguinis sui sub speciebus panis et vini: et tunc consecratione sisteretur praesens, sicut nunc, quin constitueretur in externo habitu mortis et destructionis. — Denique in hac sententia, non habetur illudmet sacrificium quod Christus in Cruce obtulit, sed novum quoddam sacrificium: aliunde distinctio haec, sacrificii in specie propria et in specie aliena, licet sicut alia distinctio sacrificii absoluti et sacrificii relativi, etsi sustineri possit pro designando diverso statu Christi viatoris ac patientis et Christi comprehensoris ac gloriosi, nullimode tamen iustificat mutationem in ipso conceptu sacrificii veri et proprii, quale, ex Concilio Tridentino credere debemus in Missa Deo offerri [3].

1. Disput. VIII, Quaest. I, art. IV. — 2. La Sainte Eucharistie, p. 322. — 3. Sess. XXII, can. I. Ex patronis sententiae, quam hic impugnamus, recenseri potest D.r Nic. Gihr, qui ait (Das heilige Messopfer, Freib. in Breisgau,. 1907, p. 103: *Die volle Wesenheit des eucharistischen Opfers liegt somit in der mystischen Blutvergiessung, welche durch die Wandlungsworte der beiden Elemente bewirkt wird — und zwar liegt sie in dieser Blutvergiessung, sofern selbe an sich ein realer Ausdruck des gegenwärtigen Opferwillens und der auf dem Altar stattfindenden Selbsthingabe Christi ist und sofern sie zugleich das blutige Kreuzopfer veranschaulicht bzw. erneurt.* — Quod gallice ita redditur (Trad. de L. Th. Moccand, Paris, p. 126): *L'essence complète du sacrifice eucharistique repose donc dans l'effusion mystique du sang opérée par la transsubstan-*

5. — IV. **Sententia Lugonis.** — Celebrior adhuc evasit Lugonis sententia[1], quibus multi, recentiori quoque tempore, quos inter Franzelin[2] et Sasse, inhaerent, volentis rationem formalem sacrificii eucharistici reponi in statu quodam decliviori seu exinanitionis, quem Christi humanitas ex consecratione induit, quatenus sub speciebus panis ac vini existens, fit noster cibus et potus, proindeque fit ineptus functionibus vitae humanae atque ideo aequivalenter destruitur. — Sed nec huiusmodi sententia sufficit: quandoquidem aliud est rem aliquam in cibum et potum in usum hominum ordinari, aliud in illa re significationem sacramentalem claudi quatenus in honorem Dei offertur: unde illa exinanitione vel illo statu decliviori Christi sub speciebus panis ac vini existentis nequit per se salvari ratio sacrificii eucharistici. Aliunde in Patrum scriptis ac in liturgiis distinctio saepius introducitur inter immolationem et sumptionem, ex quo, ut concludit Paquet[3], colligere fas est, rationem cibi et potus consequenter tantum se habere ad formam sacrificii constitutivam.

Intimius vero rem consideranti patebit in Lugonis sententia inconveniens non vitari, dicentium missam non idem esse sacrificium quod in Cruce peractum est: quandoquidem status ille declivior, quo sub speciebus latet, necessariam relationem non habet cum immolatione divinae victimae in Calvario, per separationem corporis a sanguine.

---

tiation des deux éléments, en tant qu'elle est l'expression réelle de la volonté de Jésus-Christ de se sacrifier actuellement, et du don de lui-même sur l'autel, et en tant qu'elle représente et renouvelle à la fois le sacrifice sanglant de la croix. Haud dissimiliter loquitur Dr. Leonh. Atzberger, Handbuch der Kathol. Dogmatik, IV B, p. 656.

1. De Euchar., Disput. XIX, Sect. 5, n. 65, 67. — 2. De Eucharist., Thes. 16. Verba E.mi auctoris sunt: *Dicimus statum victimae induere Christum, eo ipso quod se constituit in statu et modo existendi sacramentali, in statu cibi ac potus*, pp. 398, 399. Romae, 1899. — 3. Loco cit.

Denique negari potest, Christi praesentiam sub speciebus eucharisticis constituere statum revera decliviorem seu exinanitionis, cum omnes ibi internas operationes exerceat, quas exercet in caelo, et tantummodo relate ad nos externa eius refulgentia per species impediatur, ut fuse ostensum est in prima huius tractatus parte [1]. — Quocirca nequit omnino essentia immolationis in sacrificio eucharistico reponi in supposito decliviori statu.

6. — V. **Refelluntur aliae sententiae.** — At licet supradictae sententiae, additis opportunis explicationibus ac declarationibus, quadantenus forsan defendi valeant, nullimode tamen catholice sustineri potest explicatio Cardinalis Cienfuegos [2], autumantis in hoc consistere eucharisticum sacrificium, quod Christus, postquam factum est realiter praesens in altari, vitae sensitivae operationes suspendit usquedum, in mixtione hostiae cum vino, quodammodo ad hanc vitam revocatur et vitae humanae actiones resumit.

At, primo, adverti debet hanc positionem omnino arbitrariam esse ac omni prorsus solido fundamento destitutam; deinde numquam ab oculis deponi catholica veritas debet, missam non esse qualecumque sacrificium, sed sacrificii Crucis repraesentativum; denique huiusmodi suspensio operationum vitae sensitivae in Christo sub speciebus latente, ad sacrifici externi rationem, quale debet esse sacrificium in proprio sensu, utpote res invisibilis, referri nequaquam potest. — Haec ultima animadversio valet ad excludenda omnia illa systemata in quibus intimae Christi, sub speciebus latentis, dispositiones inducuntur, quales videlicet habuit in Cruce, tanquam constitutivae sacrificii eucharistici. Enimvero Christus Dominus eisdem amoris motibus erga nos movetur, quibus

1. Quaest. LXXVI, Art. 6, nu. 6, 7, 8, p. 243, seq. — 2. Vita Abscondita. Romae, 1738. Disput. II. lect. I.

in vita sua mortali agebatur: at non in istis internis illius cordis motibus potest consistere eius immolatio: secus perduraret sacrificium, quousque perdurat realis eius sub speciebus praesentia.

7. — VI. **Aliae erroneae sententiae reiiciuntur.** — Vix necesse est ut recenseamus sententiam ponentium immolationem Christi in missa in eo consistere, quod Christus in altari quasi annihilatus existat et veluti ad statum inorganicae materiae reductus, perceptionem sensuum nostrorum effugiens: haec quippe opinio, quae in ephemeride quadam catholica haud ita pridem recitabatur, cum reali eiusdem Christi, quem in caelis adoramus praesentiae in Eucharistia contradicat, tanquam haeretica est dimittenda. — Huic sententiae quodammodo affinis est illa quorumdam concionatorum pia opinatio, censentium missae sacrificium eo fine a Christo institutum, ut iuge nobis humilitatis, patientiae et obedientiae, in decliviori Eucharistiae statu, praeberet: enimvero Christi intentio, in almo hoc sacramento instituendo fuit, se nobis cibum et potum praebere, Deo autem in perpetuum holocaustum offerre; cetera vero ex hac prima intentione, naturali quadam necessitate, consequuntur: non tamen ita ut actu Christus in Eucharistia vilipendatur, patiatur, aut obediat, cum gloriosus sit, et nec pati aut minui utcumque possit; sed quia has contumelias et humiliationes in vita mortali praevidens, immensa sua charitate illas ultro suscepit in honorem Dei et salutem hominum [1].

1. *A la vérité*, scribit J. Grimal, *nous pouvons, nous devons penser que tous les outrages, commis contre le Sacrement de l'Autel, Jésus, durant sa vie mortelle et spécialement à la Cène, les prévit surnaturellement et en souffrit. Mais cette pensée n'est pas tant faite pour nous suggérer une leçon que pour nous rappeler l'amour de Jésus... Son amour l'a fait passer par-dessus tous les outrages et sacrilèges, si douloureusement prévus et ressentis, à la Cène, quand son Cœur ponvait souffrir encore.* Le sacerdoce et le sacrifice de Notre Seigneur Jésus-Christ, pp. 442, seqq.

Porro, magna haec sententiarum varietas, argumento est aliunde peti debere difficultatis solutionem: scilicet, recedendum non est a veterum Doctorum sententia, quorum agmen ducunt B. Albertus Magnus, S. Thomas, Caietanus et Melchior Canus, ponentes, altaris sacrificium, utpote substantialiter idem cum sacrificio Crucis, eamdem quoque habere rationem sacrificalem substantialiter acceptam, salva aliqua accidentali differentia. Non pigeat in re ista explicanda diutius immorari; cum ex eius pleniori consideratione maiorem ac suaviorem concipiat animus fidelis de tam insigni beneficio aestimationem.

8. — PROP. — **Ratio essentialis sacrificii eucharistici eadem substantialiter et specifice est ac ratio essentialis sacrificii Crucis; sola existente differentia quoad modum.**

Diximus hanc esse veterum Doctorum sententiam, quos hic ordinatim referre non pigebit. Beatus Albertus Magnus ait [1]: *Immolatio nostra non tantum est repraesentatio, sed immolatio vera, id est, rei immolatae oblatio per manus sacerdotum; unde duo dicit: scilicet, rem occisam et oblationem; quia immolatio proprie est oblatio occisi ad cultum Dei:* ex quibus apparet, insignem hunc Doctorem repetere veritatem et proprietatem sacrificii eucharistici ex ipsomet Crucis sacrificio, quatenus Christum semel occisum Deo Patri offerimus.

De mente S. Thomae non est dubitandum, cum identitatem substantialem agnoscat inter sacrificium eucharisticum et sacrificium Crucis. *Sacrificium,* ait [2], *quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio;* et citat S. Augustinum dicentem [3]: *Sacerdos est ipse*

1. In 4, Dist. XIII, art. 23. Opp., Paris., 1894, t. XXIX, p. 371. — 2. 3, Quaest. XXII, art. 3, ad 2^{m}. — 3. L. X de Civ. Dei, c. 20, t. VII, col. 256.

(Christus) *offerens, ipse et obblatio; cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium.*

Nec aliud docuit insignis S. Thomae discipulus, Card. Caietanus, qui ait [1]: *In novo Testamento non repetitur sacrificium seu oblatio, sed perseverat immolatitio modo unicum sacrificium semel oblatum, et in modo perseverandi intervenit repetitio non in ipsa re oblata, nec etiam ipse qui repetitur modus concurrit ad sacrificium propter se, sed propter oblationem in Cruce commemorandam incruente;* seu, ut explicat Paquet [2], modus quo sacrificium Crucis in Eucharistia perseverat, non ipse efficit formalem rationem sacrificii, sed solum incruente commemorat passionem Domini, qua ratio illa sacrifica proprie ac essentialiter continetur.

Adhuc clarius rem declarat Melchior Canus. *Etsi*, ait [3], *Christi corpus in Eucharistia vivum est, ac sanguis in corpore, non tamen a nobis aut corpus offertur quia vivum est, aut sanguis quia est in corpore: sed illud, quia mactatum, hic quia effusus in Cruce... Si eadem externa Crucis hostia in conspectu nostro aeterna permaneret, nullo exemplari et imagine hostiae illius indigeremus. Quia vero, licet oblatio illa et mactatio externa transierit, sic tamen coram Deo constat acceptabilis, et perpetua virtute consistit, ut non minus hodie in conspectu Patris illa sit efficax, quam eo die quo de saucio latere sanguis exivit, ideo vere nunc offerimus eamdem Crucis hostiam cum Christo, perinde atque illi qui erant iuxta Crucem: quamvis illi nullo posito sub oculis simulacro, quia nullo tunc opus erat, cum res ipsa viva in praesentia esset atque ante oculos proposita: nobis autem per imaginem Christus hostiam illam excitavit, et quasi in quodam exemplari*

1. T. III, tr. X, c. 6. Venet., 1596, p. 293. — 2. Disp. VIII, Quaest. I, Art. IV. — 3. Loc. theol., L. XII, cap. XI, n. 52.

statuit ante oculos. Sed imago haec et exemplar nihil revera obstat, cur non eumdem illum sanguinem modo offeramus, quem Christus fudit in Cruce, non aliter ac si nunc coram effunderetur. Quae est sententia Chrysostomi, falso tamen Ambrosio attributa [1]. *Adde, quod quale fuerit sacrificium, talis est requirenda mors, ut si illud cruentum est, haec sit etiam cruenta: sin illud incruentum erit, mors quoque erit mystica et incruenta, id est effectus mortis, ceu nunc praesens adesset. Satis est enim ut vere et proprie sit sacrificium, quod mors ita nunc ad peccati remissionem applicetur, ac si nunc Christus ipse moreretur. Id quod scriptorum veterum testimoniis confirmatur. Gregorius,* IN SE IPSO, *inquit,* IMMORTALITER VIVENS, ITERUM IN HOC MYSTERIO MORITUR. *Et Augustinus,* SEMEL IMMOLATUS EST IN SEMETIPSO CHRISTUS, ET TAMEN QUOTIDIE IMMOLATUR IN SACRAMENTO. *Paschasius:* QUOTIDIE CHRISTUS MYSTICE PRO NOBIS IMMOLATUR, ET PASSIO CHRISTI IN MYSTERIO TRADITUR, *etc. Et Cyrillus in Concilio Ephesino. Athanasius ad Antiochum, Theophylactus* [2], *Damascenus* [3], *Gregorius demum Nazianzenus, ut ceteros praetermittam, hanc incruentam exsanguemque immolationem vocant, unicam illam quidem, qualis non fuit alia similis, per quam ad effectum scilicet sic nobis Christus immolatur, ut illis, qui praesentes erant, quando se in Cruce offerebat. Sed quia sine effusione cruoris, quae in praesentia cernatur oculis, applicatione vero cruoris iam effusi fit oblatio, recte a Patribus incruentum sacrificium nuncupatur.*

9. — **Patrum sententia.** — Quod autem haec sit antiqua Ecclesiae Patrum doctrina, patet ex S. Cypriano, qui ait [4]: *Quia passionis eius mentionem in sacrificiis*

1. De consecr. Dist. 2, cap. *in Christo.* — 2. In 10. cap. epist. ad Hebraeos. — 3. In 4 lib. — 4. Epist. LXIII ad Caecil., n. 17. Opp. p. 278.

omnibus facimus, passio est enim Domini sacrificium quod offerimus, nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus... Quotiescumque ergo calicem in commemorationem Domini et passionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus. Pariter S. Ioannes Chrysostomus [1]: *Revereare huius oblationis argumentum: occisus iacet Christus. Cuius vero causa et quare occisus est? Ut caelestibus simul et terrenis pacem afferret:* nempe Christus, non utcumque, sed ut occisus passionis gladio, in nostris offfertur altaribus. Ceterum, nonne haec est ipsius Ecclesiae doctrina, dum orat [2]: *Quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur.* Vis ergo et formalis ratio sacrificii eucharistici derivanda est ex ipsa Christi passione et morte, non solum in actu signato, seu in repraesentatione, sed etiam in actu exercito, pro quanto gloriosus Christi status id nunc permittat.

10. — Ratio theol. — Sacrificia substantialiter identica constant eadem ratione formali, seu eadem ratione sacrificii essentialiter constitutiva. Atqui sacrificium altaris est substantialiter identicum sacrificio Crucis, cuius ratio formalis fuit immolatio semel facta in Cruce. Ergo ratio formalis sacrificii altaris consistit, non in quacumque immolatione, sed in immolatione in Cruce peracta.

Complet autem mactatio mystica quae fit in altari rationem significativam sacrificii, quod sustineri non posset, nisi esset signum aut symbolum protestativum immolationis in Cruce semel peractae: quae quidem mystica mactatio habetur in distincta consecratione panis ac vini: at non in hac mystica mactatione reponitur ipsa formalis sacrificii eucharistici essentia, quae, ut diximus, in hoc sita est, quod eadem habetur victima, idem offerens,

1. Homil. de Prodit. Iudae, n. 6. P. G. Migne, t. XLIX, col. 381. — 2. In Orat. Secret. Domin. IX post Pentec.

eadem oblatio; unde utriusque speciei consecratio habenda est, ex institutione Christi, tanquam conditio, qua posita, in praesenti oeconomia, sacrificium habetur, et sine qua sacrificium haberi non potest.

Manet ergo virtualiter immolatio Crucis in nostro altaris sacrificio, eo modo quo semen manet in planta: et ex hac Crucis immolatione, missae sacrificium suam formalem derivat rationem; ideoque mors Christi in Cruce, ex ipsa Salvatoris intentione, influit actu in singulis sacrificiis eucharisticis, temporis decursu celebrandis, sicut sanctificatio quam Christus semel indidit aquae relate ad baptismi sacramentum, virtualiter influit in aquam, quoties ritus sacramentalis perficitur.

11. — Quanam immediatione sacrificium Crucis influit in sacrificium eucharisticum. — Ex his consequitur, sacrificium Crucis, ex voluntate et institutione Christi, operari et influere in sacrificio eucharistico, non quidem immediatione suppositi, cum illud iam praeterierit, sed immediatione virtutis, sicut in omnibus sacramentis [1]; sed huic sacrificio sacrificium Crucis dat formam, eo quod ad hoc commemorandum formaliter institutum est. Quapropter eo modo se habet sacrificium eucharisticum ad sacrificium Crucis, quomodo mandatum regis per ministrum communicatum se habet ad ipsius regis auctoritatem, quam illud ita formaliter induit, ut mandatum hoc transgrediens, vere et proprie dicatur transgredi regis praeceptum: Et sic rite intelligitur quomodo ex sacrificio Crucis et sacrificio eucharistico, non duo, sed unum, resultet sacrificium, et quomodo sacrificium eucharisticum vere appelletur in traditione sacrifi-

1. Ad plene intelligendam hanc doctrinam, iuvat recolere id quod tradidimus in tr. DE DEO UNO. Quaest. VIII, art. 1, n. 3, p. 288, ubi de immediatione virtutis relate ad determinatum effectum, ex professo tractatur; necnon id quod scripsimus in tr. DEL MIRACOLO, etc. c. II, § VIII, p. 51, seqq. Romae 1900.

cium vel immolatio Calvariae, et quomodo adsistens missae sacrificio perinde se habeat ac si adsisteret sacrificio Crucis, denique quomodo per hoc sacrificium effectus passionis et mortis Christi specialiter nobis applicetur. En quam excellens res est eucharisticum sacrificium, si tamen sub hac luce, uti fieri debet, consideretur!

E contra, adverte quam exigua res fiat eucharisticum sacrificium, si illius essentia reponatur in mactatione mystica, de qua superius locuti sumus. Si enim ab hac mystica mactatione repetatur illius forma, iam aliud erit sacrificium a sacrificio Crucis; ponetur sacrificium quoddam novum et independens a Calvariae sacrificio; et tota actio Missae reducetur ad symbolicum ritum, non habentem cum sacrificio Crucis nisi relationem significationis.

12. — Ordo quatuor causarum in sacrificio eucharistico. — Quae cum ita sint, recensitis per ordinem quatuor causis, eas nunc ad sacrificium eucharisticum applicantes, dicimus: primo, causa efficiens principalis est ipse Christus; ministerialis, sacerdos; secundo, causa materialis, seu victima oblationis est iterum Christus, id est eius corpus et sanguis sub speciebus latentia; tertio, causa finalis, seu effectus inde derivandus, est tum salus hominum, tum gloria Christi et Dei; quarto, causa formalis, extrinseca quidem seu exemplaris est Crucis sacrificium tamquam exemplar in monte monstratum, ad cuius imaginem eucharisticum sacrificium debet compleri; causa vero formalis intrinseca est ipsum sacrificium Crucis, non simpliciter, sed quatenus ex voluntate Christi, sistitur praesens per ritum sacrificalem a Christo ad hoc institutum, qui ritus simul signat et efficit: signat, per duplicem consecrationem quae quasi gladio spirituali renovat mortem Christi in Cruce; efficit coniunctionem moralem identitatis huius sacrificii eucharistici cum sacrificio Crucis.

13. — Modi loquendi circa sacrificium eucharisticum. — Quocirca, in loquendo de hoc insigni Altaris sacrificio, cauti esse debemus, ne verba usurpemus, quibus utcumque diminuatur vel sacrificii Crucis vel sacrificii eucharistici dignitas : ex verbis quippe inordinatis incurritur haeresis. Nimirum exaggeraret, qui vocaret sacrificium eucharisticum renovationem aut repetitionem sacrificii Crucis : non enim est novum sacrificium, cum Christus una oblatione consummaverit in sempiternum sanctificandos. Ex adverso erraret, qui eucharisticum sacrificium vocaret solum imaginem, memoriam, aut commemorationem sacrificii Crucis, cum tunc reduceret sacrificium Crucis ad meram causam formalem extrinsecam sacrificii eucharistici. Ut ergo salvetur veritas theologica, non aliter dicendum est, nisi quod sacrificium eucharisticum est commemoratio exercita vel in actu exercito, sacrificii Crucis: quod est eiusdem actualis applicatio, vel si lubeat continuatio, iuxa illud [1]: (Agnus) *qui occisus est ab origine mundi.* Nimirum, sicut veteris Legis sacrificia rationem suam formulam accipiebant ex sacrificio Crucis quod repraesentabant ut futurum, ita novae Legis sacrificium rationem suam formalem accipit ex eodem sacrificio Crucis quod nunc repraesentat ut peractum : at multiplex differentia est inter sacrificia veteris Legis et sacrificium novae Legis, quas differentias supra assignavimus [2]: pro nunc vero satis est notare hanc fundamentalem differentiam, quod quia relate ad veteris Legis sacrificia, Christus nondum occisus fuerat, ideo sacrificium Crucis in illa moraliter tantum influebat: quia vero iam Crucis sacrificium peractum est, ideo influit physice relate ad sacrificium eucharisticum.

14. — Verba Leonis XIII. — Placet hic verba referre quibus Leo XIII, exhibita prius ratione et necessi-

1. Apoc. XIII, 8. — 2. Quaest. II, art. 2, n. 8, p 60.

tate sacrificii in genere, formalem ostendit connexionem inter sacrificium Crucis et sacrificium eucharisticum. *Necessitatem vero sacrificii*, ait [1], *vis ipsa et natura religionis continet. In hoc enim est summa divini cultus, agnoscere et revereri Deum ut supremum dominatorem rerum, cuius in potestate et nos et omnia nostra sunt. Iamvero non alia est ratio et causa sacrificii, quae propterea* RES DIVINA *proprie nominatur: remotisque sacrificiis, nulla nec esse nec cogitari religio potest. Lege veteri non est lex inferior Evangelii: imo multo praestantior, quia id cumulate perficit, quod illa inchoarat. Iamvero sacrificium in Cruce factum praesignificabant sacrificia in Testamento veteri usitata, multo ante quam Christus nasceretur: post eius ascensum in caelum, idem illud sacrificium sacrificio eucharistico continuatur. Itaque vehementer errant, qui hoc perinde respuunt, ac si veritatem virtutemque sacrificii deminuat, quod Christus, Cruci suffixus, fecit,* SEMEL OBLATUS AD MULTORUM EXHAURIENDA PECCATA [2]. *Omnino perfecta atque absoluta illa expiatio mortalium fuit: nec ullo modo altera, sed ipsa illa in sacrificio eucharistico inest. Quoniam enim sacrificalem ritum comitari in omne tempus religioni oportebat, divinissimum fuit Redemptoris consilium, ut sacrificium semel in Cruce consummatum, perpetuum et perenne fieret. Huius autem ratio perpetuitatis inest in sacratissima Eucharistia, quae non similitudinem inanem memoriamve tantum rei affert, sed veritatem ipsam, quamquam specie dissimili: propterea que huius sacrificii efficientia sive ad impetrandum, sive ad expiandum, ex morte Christi tota fluit:* AB ORTU ENIM SOLIS, etc.

1. Ep. Encycl. Archiep. et episc. Scotiae, *Caritatis studium*, 25 Iul., 1898. Acta Leonis XIII, Vol. XVIII, pp. 110, 111. — 2. HEBR., IX, 28.

15. — Beatissimae Virginis partes in sacrificio eucharistico. — Ex eo quod eucharisticum sacrificium est formaliter ipsummet Crucis sacrificium, cum in illo Beatissima Virgo insignes partes habuerit, hinc sequitur non absque respectu ad illius cooperationem Missae sacrificium et institutum a Christo fuisse et nunc a sacerdotibus celebrari. Haec quippe Beatissima Mater, cum divinam Victimam conceperit, genuerit, aluerit, conservaverit et in Calvario, loco generis humani, aeterno Patri obtulerit, licet illam actu non mactaverit, ideo rite agnoscitur tamquam ministra et socia sacrificii Crucis, et generis humani Coredemptrix iure meritoque proclamatur. Perdurante igitur, in eucharistico sacrificio, ipsomet Crucis sacrificio, sequitur hanc etiam Beatae Virginis partem quodammodo perdurare; ideoque sicut adstitit sub Cruce, Christum Filium suum pro salute mundi Deo Patri offerens, ita nunc Missae sacrificio, quod ubique terrarum celebratur, adsistit, pergens divinum suum munus Coredemptricis exequi in salutem hominum. — Oh! quantas debemus huic divinae Matri gratias, pro beneficiis quae sub Cruce Nati nobis contulit, et quae non cessat nunc nobis conferre; quam sancta et salubris est praxis, tum piorum sacerdotum qui celebraturi maternam Mariae adsistentiam implorant, tum christifidelium qui una cum ipsa sacrificio Missae intersunt [1]!

1. Hac de causa nunquam praetermittunt pii sacerdotes hanc ad B.mam Virginem Mariam precationem, antequam ad Missam celebrandam accedant, recitare: *O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu; et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in Cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer adsistere digneris, ut tua gratia adiuti, dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.* Indulg. 100 dierum. Raccolta, n. 355. Cf. L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain, c. XXVI, p. 219; item, Relations de la très sainte Vierge avec le très saint Sacrement. Bruxelles, 1910.

16. — **Quaestio.** — *Quomodo differt sacrificium eucharisticum a ceteris sacrificiis?*

Resp. — I. Sacrificium eucharisticum differt a sacrificiis veteris Legis, *primo,* ex parte principalis offerentis: nimirum, in veteri Lege principales offerentes erant sacerdotes mortales, ideoque sibi succedentes; in nova autem Lege principalis offerens est unus, scilicet Christus, cuius sacerdotium manet in aeternum. *Secundo,* ex parte virtutis et effectus; sacrificium enim eucharisticum est infiniti valoris, aaronicum vero erat valoris finiti. *Tertio,* ex parte materiae; nam in antiquis sacrificiis materia quae assumebatur ad sacrificium erat id quod principaliter offerebatur; hic autem materia quae assumitur non est res principaliter oblata, sed id quod ex illa per actionem sacrificativam efficitur. — Attamen cavendum est ne dicatur novae Legis sacrificium ab antiquis differre essentialiter, cum Lex nova a Lege veteri specie non differat[1]; *et propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in veteri Lege, ut hoc unum, singulare et praecipuum sacrificium figuraretur, tamquam perfectum per imperfecta...: et quia ex figurato sumitur ratio figurae, ideo rationes sacrificiorum figuralium veteris Legis sunt sumendae ex vero sacrificio Christi*[2].

II. Sacrificium eucharisticum differt a sacrificio Crucis, *primo,* in hoc quod Christus in Cruce oblatus, erat mortalis et passibilis; hic vero offertur immortalis et impassibilis. *Secundo,* in Cruce Christus seipsum per se offerebat, hic vero ministerio utitur sacerdotum. *Tertio,* in Cruce oblatus est modo cruento, hic vero incruente. *Quarto,* in Cruce solvit Christus pretium redemptionis nostrae, hic vero illud nobis communicat. *Quinto,* Christus in Cruce immolabatur in propria specie, nunc immolatur sub specie aliena. — Cavendum iterum hic est ne, ob has rationes, assignetur inter utrumque sacrificium diffe-

1. 3, Quaest., CVII, art. 1. — 2. Ibid. Quaest., LII, art. 3.

rentia essentialis; nam licet actiones offerentium diversae sint, quia tamen utrobique eadem habetur numero hostia, idem quoque et principaliter offerens, et hoc altaris sacrificium necessariam dicit habitudinem ad sacrificium Crucis cuius est commemorativum et illius virtutis applicativum, ideo differentia solum accidentalis est, consistens in modo et ratione offerendi, iuxta illud Concilii Tridentini[1]: *Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Hinc non offertur sacrificium missae ut diversum a sacrificio Crucis, sed unum cum eo, ait Estius[2].

III. Denique, sacrificium eucharisticum differt a sacrificio coenae, *primo,* in hoc quod in coena Christus offerebatur mortalis, in Eucharistia vero offertur immortalis. *Secundo,* in coena Christus ipse se per se offerebat, nunc vero offertur per sacerdotes. *Tertio,* in coena significabatur passio ut futura, nunc autem ut praeterita. — At differentiae istae iterum accidentales sunt, non essentiales, cum sit et eadem hostia et idem offerens; quinimmo idem quoque servatur modus offerendi, scilicet incruente.

17. — Solvitur tacita difficultas. — *Obiicienti,* in sacrificio haberi debere unionem inter oblationem ac immolationem, oblationem autem quae in missa peragitur non coniungi cum immolatione in Cruce peracta, — *respondetur,* sufficere unionem quamdam moralem, qualem cernere est in sacrificiis veteris Legis, in quibus mactatio interdum oblationem praecedebat; et sic sacerdotis oblatio, in mactatione mystica quae in ipso sacrificio eucharistico perficitur, contenta, coniungitur virtualiter reali mactationi Christi in Cruce peractae: eo enim ipso quod idem ille qui in Cruce pro nobis mortuus est, praesens sistitur sub speciebus panis et vini, ex ipsa Christi voluntate, sistitur praesens

1. Sess. XXII, cap. 2. — 2. In Epist. ad Hebr., c. X.

tamquam mortuus, quod signat duplex consecratio; et ita mystica altaris mactatio refert actualem missae oblationem ad realem Christi in Cruce mactationem.

ARTICULUS VI. — *Utrum Christus sit res principaliter oblata in hoc sacrificio.*

1. — Ratio articuli. — Cum post consecrationem, panis et vini species remaneant, hinc dubitatio suboritur, an panis et vinum, vel saltem illorum species, sint id quod principaliter offertur in sacrificio eucharistico. Et quidem, quod revera ita res se habeat, prima facie videretur concludendum ex orationibus Ecclesiae: verbi gratia, in Communi plurimorum martyrum, dicitur [1]: *Oblatis, quaesumus, Domine, placare muneribus;* et in Dominica infra Octavam Epiphaniae [2]: *Oblatum tibi sacrificium vivificet nos semper et muniat;* denique haec oblata vocantur in Canone, *sancta et illibata sacrificia.* — At contra, dicimus

2. — PROP. — Res principaliter oblata in sacrificio eucharistico est Christus Dominus, scilicet corpus et sanguis eius, non ut in propria specie, sed ut sub speciebus panis et vini existentia.

Prob. — Sacerdotes id offerunt in sacrificio, quod Christus obtulit in ultima coena. Atqui Christus in ultima coena seipsum obtulit, ut est existens sub speciebus panis et vini. Ergo in sacrificio eucharistico, Christus ipse est res principaliter oblata, prout sub speciebus panis et vini existit. — *Maior* probatur, tum ex verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem,* tum ex hoc quod eadem est hostia sacrificii incruenti, quae fuit sacrificii cruenti: atqui in Cruce Christus seipsum obtulit,

1. In Orat. secret. — 2. Pariter in Orat. secret.

secundum illud Concilii Tridentini[1]: *In hoc sacrificio, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum obtulit.* Unde in secreta festi Epiphaniae dicitur: *Non iam aurum, thus et myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur et sumitur, Iesus Christus.*

3. — Scholia. — I. Diximus, Christum Dominum esse rem principaliter oblatam in hoc sacrificio, secundum quod existit, non in sua specie propria, sed sub speciebus panis et vini: revera, sacrificium novae Legis est quid visibile, ergo res oblata debet esse aliquo modo visibilis; corpus autem Christi non est nobis visibile, nisi secundum quod est sub speciebus: ergo nonnisi hoc modo potest esse res oblata in hoc sacrificio; eo vel magis quod circa Christum, ut in propria specie existit, non possit versari actio aliqua sacrificalis, cum sit omnino immortalis et impassibilis.

II. Notat hic opportune Sylvius quod, cum ad rem in hoc sacrificio principaliter oblatam pertineant corpus et sanguis Christi, quatenus sub speciebus sensibilibus esse incipiunt et Deo tanquam munus exhibentur, consequenter dicendum est offerri etiam Deo Patri passionem Christi Domini, quae per consecrationem repraesentatur et ut praesens Patris conspectui offertur. Ex quo patet quanto excellentius sit hoc sacrificium prae sacrificiis veteribus: quandoquidem, in istis sacrificiis, materia quae assumebatur et circa quam exercebatur actio sacrificalis, erat id quod principaliter offerebatur, scilicet caro animalium, vel aliquid huiusmodi materiale elementum; in hoc autem sacrificio, materia quae assumitur, scilicet panis et vinum, non est id quod principaliter offertur; sed id quod offertur est idipsum quod actione sacrificali efficitur seu

1. Sess. XXII, cap. 2.

terminus ad quem consecrationis, scilicet sacratissimum Christi corpus et pretiosissimus eius sanguis.

4. — **Solvitur proposita difficultas.** — Igitur, ad difficultatem initio articuli propositam, dicendum est, panem et vinum in sacra liturgia interdum vocari sacrificia, vel per anticipationem, quatenus ex pane et vino mox per verba consecrationis fieri debeant corpus et sanguis Christi, vel quia species panis et vini ad sacrificium pertinent, non tanquam res principalis, sed tanquam id sine quo hoc sacrificium fieri non contingit. Quocirca panis et corpus Christi ad unum sacrificium constituendum pertinent: panis quidem, ut materia ex qua transiens, permanente tamen eius specie; corpus autem Christi ut id quod proprie immolatur; unde sacerdos in missa, post vocalem panis et vini oblationem, ait: *Benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum;* et rursus[1]: *Hostias tibi, Domine, deferimus immolandas.*

5. — **Tacita obiectio.** — Illud in sacrificio principaliter offertur, quod destruitur. Atqui in missa panis et vinum destruuntur. Ergo panis et vinum sunt in missa id quod principaliter offertur.

Resp. Imprimis falsum est, panem et vinum in consecratione destrui, cum haec elementa transubstantientur in corpus et sanguinem Christi. — Nec valet urgeri, panem eatenus destrui, quatenus ordinatur ad productionem corporis Christi: cum falsum quoque sit corpus Christi in Eucharistia praesens adesse per productionem, et sacrificium a nobis non concipiatur, nisi per rei immutationem, minime vero per rem quae aliunde producatur[2]. Ergo falsum est sacrificiium eucharisticum consistere principaliter in oblatione panis et vini.

1. Feria III post Domin. Passionis, in Secreta. — 2. Cf. tract. DE SS.MO EUCHARISTIAE SACRAMENTO, Quaest. LXXV, art. 4, n. 22, p. 173.

6. — Quaestio — *Qua ratione dicitur Christus in sacrificio missae principalis offerens?*

Resp. Multiplici ratione. *Primo,* quia ipse est huius sacrificii institutor. *Secundo,* quia ad miraculosam actionem transubstantiationis operatur principaliter; quo modo S. Ioannes Chrysostomus ait [1]: *Ipse nunc quoque operatur, ipse perficit: ministrorum nos ordinem tenemus; qui vero haec sanctificat et transmutat, ipse est. Tertio,* quia in Christi persona et virtute sacerdos conficit, tanquam illius legatus, ipsum repraesentans, eius personam induens, eius verbis utens. *Quarto,* quia Christus totam illam actionem, suam videlicet et sacerdotis, ordinat in cultum Dei Patris, eamque ipsi representat in memoriam suae passionis [2].

1. Homil. LXXXIII in Matth. — 2. FR. SYLVIUS. Cf. S. THOM., Comment. in Epist. ad Rom., c. VIII, lect. 7; item in Epist. ad Hebr., c. VII, lect. 4.

QUAESTIO TERTIA

DE EFFECTIBUS SACRIFICII EUCHARISTICI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Cum uniuscuiusque rei naturam sequatur virtus operativa illius naturae proportionata, hinc post considerationem de essentia sacrificii eucharistici, sequitur ut de illius effectibus vel fructibus sermo instituatur. In quo statim recolenda venit superius assignata distinctio sacrificii in sacrificium latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium, secundum diversitatem rationum quae in sacrificio considerantur: quae quidem rationes, etsi ab invicem distinctae, in una tamen eademque oblatione possunt adunatae reperiri [1]. — Protestantes, Eucharistiam tamquam sacrificium improprie solum et lato sensu dictum praedicantes, ultro agnoscunt in eo virtutem, aut Deum latriae cultu colendi, aut ipsi gratias agendi pro beneficiis acceptis [2]; at simul praefracte denegant eidem inesse valorem aut propitiatorium aut impetratorium, praesertim pro aliis quam pro ipsis sumentibus: quod sane sequitur ex hoc ipso quod in Eucharistia rationem sacrificii proprie dicti nolunt agnoscere [3]. Quantum intersit hac super re catho-

1. Cf. Prooem., p. 3, n. 3. — 2. Cf. BELLARMIN., L. VI, cap. 1. — 3. *Les hérétiques, soit anciens soit modernes*, ait R. P. E. HUGON, *ne se sont pas trop attardés à nier que l'Eucharistie soit une louange, une adoration, une action de grâces, mais ils ne conçoivent pas comme nous la portée du culte latreutique et eucharistique: pour eux, la célébration de la cène ne dépasse pas le sacrifice métaphorique de la prière extérieure; pour nous,*

licam vindicare veritatem, ex eo apparet, quod in vera Christi Ecclesia missae sacrificium veluti centrum totius cultus catholici relucet.

2. — Excellentia sacrificii eucharistici. — Enimvero, eucharisticum sacrificium non solum tenet locum omnium veteris Testamenti figuralium sacrificiorum, sed etiam multum illis excellentia anteit ac supereminet. *Haec* (oblatio) *illa est,* ait Concilium Tridentinum [1], *quae per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur: utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio, complectitur.* Ecclesia quoque Deum orat [2]: (Deus qui) *legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti.* Quapropter theologi partes esse debent, multiplices atque dulcissimos huius sacrificii fructus expendere, simulque eiusdem sacrificii valorem, necnon miram in operando efficaciam investigare: fructus enim sunt effectus huius sacrificii, quatenus nobis applicantur; valor autem est virtus qua pollet, ratione rei oblatae et principalis offerentis; efficacia denique est modus quo illos effectus operatur.

3. — Ordo quaestionis. — Quae cum ita sint, primo loco demonstranda ex professo veniet veritas catholica, qua tenemus missam esse sacrificium latreuticum (1), eucharisticum (2) et vere propitiatorium (3), atque valere pro gratiis atque favoribus divinis obtinendis (4). — At, cum in hoc insigni sacrificio, res infiniti pretii Deo offeratur, hinc ulterior disquisitio instituenda erit de ma-

---

la messe, parce qu'elle représente et renouvelle mystiquement l'immolation du calvaire, offre à Dieu une adoration, une louange, des remerciements infinis. Ce que les novateurs ont surtout méconnu, c'est la valeur propitiatoire et la valeur impétratoire de l'Eucharistie. La Sainte Eucharistie, p. 332.

1. Sess. XXII, cap. 1. — 2. Secreta Dom. VIII, post Pentec.

gnitudine valoris sacrificii missae (5, 6), ut sciatur utrum ille vere infinitus existat, tum in semetipso (5), tum in modo participandi de eodem, quod est per hoc quod quis adest huic sacrificio (6). — Denique ratio erit investiganda, qua insigne hoc sacrificium effectum suum producit (7, 8), an videlicet ex opere operantis tantum, vel potius ex opere operato (7); ut demum sciatur ad quosnam effectus hoc modo producendos, sacrificium hoc se extendat (8).

De effectu sacrificii eucharistici quaerendum est

- qualis sit, relate ad
  - Deum, prosequendum
    - debito cultu (1)
    - congruis gratiarum actionibus (2)
  - hominem
    - a peccato liberandum (3)
    - beneficiis augendum (4)
- qualiter sit, attenta
  - valoris magnitudine
    - in ipso sacrificio (5)
    - in modo participandi de eodem (6)
  - ratione operandi
    - in se (7)
    - in suis effectibus (8)

Hinc octo in hac quaestione investiganda proponuntur:

Primo. Utrum missa sit sacrificium latrenticum.

Secundo. Utrum sit sacrificium eucharisticum.

Terti. Utrum missae sacrificium sit propitiatorium.

Quarto. Utrum sit impetratorium.

Quinto. Utrum valor missae sit infinitus.

Sexto. Utrum adsistens pluribus missis eodem tempore celebratis, omnium simul fructum percipere possit.

Septimo. Utrum hoc sacrificium producat suum effectum ex opere operato.

Octavo. Ad quid valeat ex opere operato sacrificium missae.

Articulus I. — *Utrum missa sit sacrificium latreuticum.*

1. — Qua ratione latria Deo debeatur. — Ad religionis cultum pertinet latriam seu adorationem exhibere Deo, in signum reverentiae nostrae erga divinae maiestatis excellentiam. Quia vero ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet et sensitiva, ideo duplicem Deo adorationem offerimus: spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humiliatione. At, quoniam in omnibus actibus latriae, id quod est exterius, refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem; ut videlicet per signa humilitatis, quae corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo, quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus [1].

2. — Sacrificium soli Deo exhibitum. — Sciendum vero quod, cum Dei excellentia creaturis quodammodo communicetur, hinc interdum legitur sanctos viros adorasse quasdam excellentes creaturas, ut Nathan David [2], et Iosue angelum [3]: at hoc fecerunt adoratione duliae, non latriae quae soli Deo competit. Attamen aliquid est quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium; unde S. Augustinus dicit [4]: *Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quae honoribus deferrentur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera; ita tamen ut quibus ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi et venerandi; si autem eis multum additur, et adorandi: quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* [5] Quae cum ita sint,

1. 2 2ae, Quaest. LXXXIV, art. 2. — 2. 3 Reg., I, 23. — 3. Ios., V, 15. — 4. L. X de Civ. Dei, c. 4. t. VII, col. 241. — 5. S. Thom., l. cit., art. 1.

ostendi hic debet quo pacto in missae sacrificio habeatur perfecta ratio colendi Deum, tanquam supremum totius creaturae Dominum.

3. — PROP. — **In missae sacrificio exhibetur Deo verus et perfectus latriae cultus.**

Id primo constat ex pluribus precandi formulis quae in huius sacrificii oblatione adhibentur; verbi gratia: *Laudis tibi, Domine, immolamus hostias; hostias tibi, Domine, laudis offerimus*[1]: ubi nomen *laus* pro adoratione vel latria, ut saepe in liturgia fieri novimus, adhibetur. — Huc accedunt omnes illae caeremoniae, quae oblationem sacrificii eucharistici comitari solent, ut sunt inclinationes, genuflexiones, thurificationes, etc.: quae omnia ad Dei cultum pertinent. Unde in Missa orat populus: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui,* etc.

4. — **Ratio theol.** — Cum Deus super omnes gentes excelsus sit[2], immensus et infinitus, eique proinde veneratio debeatur, non qualiscumque, sed quae infiniti sit valoris, hinc per missae sacrificium cultus Deo exhibetur eo dignus, cum ibi non res creata, sed infinita, qualis est Deus ipse, offeratur, nec offerens principalis sit purus homo, sed ipsemet Christus, qui est vere Deus, qui seipsum semel obtulit in ara Crucis, *oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*[3], cuius oblationis et hostiae missa est excellentissima repraesentatio. Hinc Incarnationi Domini, et consequenter peccato primi hominis debetur, quod ab homine sacrificium Deo dignum exhibetur: nisi enim Deus factus esset homo, nunquam potuisset dignum divinitati offerri sacrificium, cum omnes res creatae semper in infinitum excedantur Dei maiestate.

1. Sacramentar. S. GREGOR. — 2. Ps. CXII, 4. — 3. EPH., V, 2.

5. — **Corollarium.** — Quapropter, si inde ab exordio generis humani, Abel sacrificia Deo placuerunt, hoc non fuit, nisi quia in illis iam adumbratum reperiebatur solemne Christi sacrificium in Cruce peragendum et in missa repraesentandum. Hoc autem sacrificio condigna Deo adoratio exhibetur cultusque perfectus; nam non solum Dominus noster sese Deo obtulit, cum per manus executorum in Cruce iamiam moriturus confixus fuit, sed hanc sui oblationem inde a primo suae conceptionis momento auspicatus est, totum se divinae voluntati exhibens, iuxta illud [1]: *Ingrediens mundum, dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi...; tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me,* etc. Quapropter si Deum volumus perfecto latriae cultu honorare, aliud nobis praestandum non est, nisi ut Christo in missae sacrificio affectu charitatis coniungamur, iuxta id quod orat Ecclesia [2]: *In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, hodie, ut placeat tibi, Domine Deus* [3].

1. HEBR., X, 5, seqq. — 2. In Ordin. Missae. — 3. Pulchre assignat S. THOMAS rationes illius moris qui antiquitus observabatur, adorandi versus orientem, quod quidem erat, primo, propter divinae maiestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu caeli, qui est ab oriente; secundo, propter paradisum in oriente constitutum, ut legitur Gen. II, secundum literam LXX Interpretum, quasi quaeramus ad paradisum redire; tertio, propter Christum qui est lux mundi, et *Oriens* nominatur (ZACH, VI, 12), et *qui ascendit super caelum caeli ad orientem* (Ps. LXVII, 34); et ab oriente etiam expectatur venturus, secundum illud (MATTH, XXIV, 27): *Sicut fulgor exit ab oriente, et paret usque ad occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.* 2 2ae, Quaest. LXXXIV, art. 3, ad 3m.

ARTICULUS II. — *Utrum missae sacrificium sit eucharisticum.*

1. — Debitum gratias Deo reddendi pro beneficiis ab eo acceptis. — Inter ea quae ad religionem pertinent, ponitur gratiarum actio, qua Deo ob accepta beneficia gratiam recompensamus. Porro multa a Deo beneficia accepimus, non ordinis solummodo naturalis, ut esse, vivere atque in vita conservari, sed maxime ordinis supernaturalis, quae omnia in eo clauduntur, quod nobis Deus gratis dedit Filium suum Unigenitum, ut assumpta carne, opus nostrae redemptionis exequeretur, iuxta illud [1]: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* — Quae cum ita sint, strictum homini incumbit officium gratias Deo pro tot benefactis reddendi; nam, ut argumentatur S. Thomas [2], omne causatum naturaliter convertitur ad suam causam, effectus enim ordinantur ad finem agentis. Benefactor autem, in quantum huiusmodi, habet se per modum causae atque principii respectu beneficiati: et ideo beneficiatus ad ipsum converti debet per gratiarum actionem; unde hoc munus saepius S. Paulus inculcat, ut puta in hoc loco [3]: *In omnibus gratias agite, haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.*

Ulterius, cum in dato beneficio duo pensentur, videlicet donum et dantis affectus, ita etiam in recompensatione beneficii haec duo interesse debent, videlicet donum benefactori reddendum, et gratitudinis affectus beneficiati ad benefactorem. At gratiae recompensatio magis attenditur secundum affectum dantis, quam secundum

1. ROM., VIII, 32. — 2. 2 2ae, Quaest. CVI, art. 3. — 3. 1 THESS., V, 17, 18.

magnitudinem doni, quia gratia respicit beneficium formaliter prout est gratis impensum, quod quidem procedit ex affectu cordis; et hac de causa, qui beneficium suscipit, ex debito morali seu honestatis obligatur ut similiter gratis aliquid reddat, si possit; sed hoc non fit, nisi quantitatem beneficii accepti ipse excedat, nam quamdiu aequale vel minus recompensat, nihil videtur gratis efficere, sed quod acceperat reddere [1]. Et hoc quidem facit ut obligatio gratitudinis, sicut charitas in qua radicatur et ex qua procedit, quodammodo interminabilis sit: quia cum beneficium accipiens semper conetur aliquid maius recompensare, nunquam cessare videtur obligatio in gratiarum actione perseverandi.

2. — **Ingratitudinis peccatum.** — Ex hoc satis apparet, illum peccare, qui Deo, ut debet, gratias non rependit; quia cum ex hoc aliquid dicatur peccatum, quod repugnat virtuti, palam est ingratitudinem, quae praetermittit beneficii agnitionem, peccato non vacare, et quidem eo graviori, quo magis contra debitum morale gratias reddendi offendit. Et primum quidem gradum occupant, qui beneficiorum immemores, de illis gratias agere omittunt; quo gravius est peccatum eorum qui mala pro bonis reddunt aut beneficium quasi maleficium aestimant [2]. Heu, quam vere potest multis nunc quoque christianis illa Dei ad populum suum obiurgatio applicari [3]: *Peccaverunt ei, et non filii eius in sordibus: generatio pravà atque perversa. Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens?... Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.*

Quae cum ita sint, iam pronum est ut ostendatur, qua ratione in missa excellentissime contineatur sacrificium eucharisticum.

1. S. Thom., Ibid., art. 5, 6. — 2. Ibid., Quaest. CVII, art. 1, 2. — 3. Deut., XXXII, 5, 6, 15.

3. — PROP. — Missa iure meritoque tanquam excellentissimum sacrificium eucharisticum habenda est.

Haec veritas primo clara apparet ex ipsis verbis institutionis huius sacrificii, cum Dominus noster, accepto tum pane, tum calice, gratias egisse legatur [1]: ex quo pronum est ut inferatur, ex mente Christi, oblationem huius sacrificii ita cum gratiarum actione coniungi, ut sit ipsamet excellentissima expressio illius gratitudinis quam erga Deum pro acceptis beneficiis profiteri debemus. Quocirca in Ecclesiae liturgia legimus [2]: *Suscipe, Domine, sacrificium placationis et laudis, quod nos... et perducat ad veniam, et in perpetua gratiarum constituat actione.* Et in Praefatione Missae, Ecclesia quotidie laetabunda canit: *Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere,... per Christum Dominum nostrum.*

4. — Ratio theol. — Ut bonum, quod ex benefactoris largitate nobis obvenit, rite perpendatur, plura sunt attendenda: scilicet quodnam sit illud bonum, a quo proveniat, quaenam sit suscipientis conditio. Nimirum, tanto pluris faciendum est beneficium, et consequenter tanto maior debetur benefactori gratia seu gratitudo, quod illud in se nobilius, nobis vero utilius evadit; quo altior est benefactoris conditio, et ardentior amor quo ad illud impendendum movetur; denique, quo humilior est ille qui beneficium accipit et indignior qui tali beneficio donatur.

Quae si divinis in nos impensis beneficiis applicentur, clare apparebit, maximo nos erga Deum gratiae reddendae officio teneri: excelsum enim est bonum quod nobis impendit, scilicet divina gratia in via et gloria in patria per Christum, nobis natum, nobis datum, obtinenda; altissimus donator et aeterna in nos charitate actus;

1. Matth., XXVI, 27; Marc., XIV, 23; Luc., XXII, 17, 19. — 2. Sacrament. S. Gregor.

vilissima per naturam et indignissima, ob contractum peccatum, nostra conditio. Ergo maximam Deo debemus rependere gratiam, quam cum in nullo bono creato ostendere valeamus, ipsemet Deus facilem nobis fecit in hoc augusto sacrificio, in quo ad iuris rigorem grati ei animi sensus manifestare possumus.

Est enim eucharisticum sacrificium donum quod Deo reddimus, ipsum eius Filium unigenitum, cum omnibus suis meritis et satisfactionibus, quem ille tanquam se infinito diligit amore in Spiritu Sancto; hanc vero nos oblationem per illummet facimus, qui simul victima est et sacerdos principalis, qui semetipsum pro nobis Deo offert, hostiam divinae maiestati pergratam. Quocirca, cum iubeamur[1]: *Da altissimo secundum datum eius,* mandatum hoc perfecte in augusto missae sacrificio adimplemus; quod olim significavit regius Psaltes, qui cum quaesivisset[2]: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi?* alludens ad ritum sacrificiorum pacificorum, in quibus aliquid loco potus, puta vinum, adhibebatur, cuius una pars effundebatur et sic libabatur Domino, reliquum vero hauriebatur ab offerentibus, in quo quidem typus exhibetur Eucharistiae, respondet[3]: *Calicem salutaris accipiam, et sacrificabo hostiam laudis*[4].

1. Eccli., XXXV, 12. — 2. Ps. CXV, 3. — 3. Ibid., 4. — 4. *La sainte Messe,* ait Nic. Gihr, *est donc un sacrifice d'actions de grâces excellent et infiniment agréable à Dieu; il contrebalance complètement tous les bienfaits divins dont le ciel et la terre sont remplis. Jésus-Christ lui-même offre le sacrifice eucharistique pour remercier pour nous, et suppléer aux imperfections de notre reconnaissance. Mais nous l'offrons aussi avec lui dans ce même but, car ce sacrifice est notre propriété.* Le saint Sacrifice de la Messe, t. I, pp. 161, 162.

ARTICULUS III. — *Utrum missae sacrificium sit propitiatorium.*

1. — Quidnam ad propitiationem pertineat. — Aliquem propitium reddere est illum specialibus actibus clementem facere, atque efficaciter inducere ut nobis dexter adsit atque faveat. Quod si persona quam nobis propitiam facere volumus, fuerit a nobis antea offensa, tunc necesse est ut illam prius per debitam expiationem rite placemus, ut sic ad beneficia nobis conferenda moveatur. Porro Deum omnes offendimus, tum peccato in origine contracto, tum multiplicibus personalibus delictis, quae non venialia tantum, sed etiam mortalia esse possunt. Deum igitur nobis propitium reddimus per hoc quod debitam pro peccatis expiationem interponentes, iustam illius iram placamus, sicque illum nobis benevolum ac ad bona conferenda proclivem facimus. — Quae cum ita sint, considerandus nunc est sacrificii eucharistici valor, quatenus medium aptum existit ad placandam divinam vindictam, per hoc quod prosit peccato, sive mortali, sive veniali, et poenis temporalibus hisce peccatis debitis, efficaciter removendis.

2. — PROP. — Sacrificium eucharisticum est vere propitiatorium.

Haec propositio omnino est de fide, dicente Concilio Tridentino [1]: *Docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit; una enim*

1. Sess. XXII, cap. 2.

eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus, per hanc incruentam uberrime percipiuntur: tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur.

Ex quibus verbis, sat aperte colligi potest, sacrificii eucharistici fructus esse tum donum poenitentiae, tum remissionem peccatorum, etiam ingentium, accedentibus tamen debitis dispositionibus, videlicet recta intentione ac fide, timore supernaturali, reverentia, necnon contritionis motu: quapropter Ecclesiae calumniantur protestantes, dum ei doctrinam imponunt, sufficere, ad peccatorum remissionem, ex sacrificii oblatione, solam materialem fidelium adsistentiam. — *Sacramentum altaris,* ait S. Bonaventura [1]..., *in quantum sacrificium, Deum placat, hostiae enim placant; et quoniam Deus iratus est, non affectione, sed poenae inflictione, ideo Deum placando, non sedat ipsius affectionem, sed remitti facit poenae acerbitatem.*

3. — Prob. ex figuris veteris Testamenti. — Cum in veteri Lege distincta essent sacrificia latreutica seu *holocausta*, sacrificia eucharistica et impetratoria quae *hostiae pacificae* dicebantur, necnon sacrificia propitiatoria quae *hostiae pro peccato* vocabantur [2], hinc pronum est ut concludatur omnium horum sacrificiorum rationes adunari in illo uno sacrificio, quo Christus *seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis* [3]. Quocirca omnia alia sacrificia, ut advertit S. Thomas [4], offerebantur in veteri Lege, ut hoc unum singulare ac praecipuum sacrificium figuraretur, tamquam perfectum per imperfecta. Unde Apostolus de sacerdote veteris Legis dicit [5],

1. In 4, Dist. XLV, dub. III. t. IV, p. 951. — 2. Levit., I, seqq. — 3. Eph., V, 2. — 4. 1 2ae, Quaest. CII, art. 3. — 5. Hebr., X, 11, 12.

quod *easdem saepe* offerebat *hostias, quae nunquam possunt auferre peccata;* Christus autem, *unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Atqui sacrificium missae aliud substantialiter non est a sacrificio Crucis.

4. — Prob. ex novo Testamento. — I. In institutione huius sacrificii sequentia verba recurrunt: *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*[1]; *qui pro vobis fundetur*[2]. Unde apertissime constat Christum in coena sacrificium obtulisse pro peccatis multorum, et signanter pro peccatis Apostolorum. Atqui idem est essentialiter sacrificium in coena oblatum et sacrificium eucharisticum quod, iubente Domino, frequentamus.

II. S. Paulus ait[3]: *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis:* πᾶς ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν θεὸν, ἵνα προσφέρῃ δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπερ ἁμαρτίων. His verbis Apostolus describit munus cuiuscumque sacerdotis proprium, quod videlicet in hoc consistit, ut pro hominum peccatis dona et sacrificia offerat: ex quo colligit Christum, summum atque sanctissimum sacerdotem, idipsum quoque praestitisse. Porro Christus reliquit in Ecclesia sacerdotes, qui officium a se semel adimpletum, usque in finem saeculorum continuarent, quod quidem illi praestant, sacrificium eucharisticum offerendo. Ergo sacrificium eucharisticum est vere propitiatorium.

5. — Liturgia. — Quod hic fuerit perpetuus Ecclesiae sensus, constat, primo, ex aperto testimonio antiquissimarum liturgiarum, quas inter iuvat verba recitare

1. Matth., XXVI, 28. — 2. Luc., XXII, 20. — 3. Hebr., V, 1.

ex liturgia, quae S. Iacobi nomine inscribitur [1]: *Deus Pater,... deprecamur et obsecramus clementiam tuam, ne in iudicio sit populo tuo mysterium hoc, quod institutum nobis est ad salutem, sed ad veniam peccatorum, remissionem insipientiarum, et ad gratias tibi referendas.* Et rursus [2]: *Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum, Domine, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis, sed secundum mansuetudinem tuam et amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, dele peccata nostra, servorum nempe tuorum tibi supplicantium.*

Pariter in liturgia Romana legitur [3]: *Propitiare, Domine, populo tuo, propitiare muneribus; ut hac oblatione placatus, et indulgentiam nobis tribuas, et postulata concedas.* Et rursus [4]: *Oblationibus nostris, quaesumus, Domine, placare susceptis; et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Pariter [5]: *Per haec divina mysteria ad novi, quaesumus, testamenti mediatorem Iesum accedamus: et super altaria tua, Domine virtutum, aspersionem sanguinis melius loquentem quam Abel, innovemus.* Quotidie vero, in missa, deprecatur Deum sacerdos, ut immaculatam hostiam suscipiat, *pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis* [6].

6. — Confirmatur. — Placet autem hic, velut in manipulo, dicendi modos colligere, quibus Ecclesia passim utitur, ad significandos propitiationis fructus, quos sibi ex hoc augusto sacrificio repromittit derivandos. — In Missali Romano similes saepe recurrunt locutiones: *Oblatis*

1. Apud RENAUDOT, Liturg. Oriental., t. II, p. 30. — 2. Ibid., p. 51. — 3. Secreta Dom. XIII post Pentec. — 4. Secreta in Sabb. post dom. IV Quadrag. — 5. Secreta in festo Pret. Sanguinis D. N. Iesu Christi. — 6. Ord. Missae, ad Offert.

placare muneribus; placare humilitatis nostrae precibus et hostiis; sacrificiis praesentibus placatus intende; Ecclesiae dona propitius intuere; concede propitius; haec hostia salutaris fiat tuae propitiatio maiestatis; respice propitius ad munera, etc.

Similia sunt quae in sacramentario S. Gregorii passim leguntur: *Suscipe, Domine, hostiam redemptionis humanae; per haec veniat sacramenta redemptionis effectus; benedictio tua, Domine, larga descendat, quae munera nostra... nobis sacramentum redemptionis efficiat; hostia, quam offerimus, vincula nostrae pravitatis absolvat; haec hostia emundet nostra delicta; huius sacrificii munus oblatum fragilitatem nostram ab omni malo purget semper; hostias tibi, Domine, placationis offerimus, ut delicta nostra miseratus absolvas; per haec sancta commercia vincula peccatorum nostrorum absolve; suscipe, Domine, sacrificium, cuius te voluisti dignanter immolatione placari; suscipe, Domine, te rogamus, ut his sacrificiis peccata nostra mundentur; munera, nos quaesumus, Domine, oblata purificent, et te nobis iugiter faciant esse placatum; mystica nobis, Domine, prosit oblatio, quae nos et a reatibus nostris expediat et perpetua salvatione confirmet,* etc.

7. — **Patres.** — Ex Patribus, sufficiat recitasse S. Augustinum, qui ait [1]: *Illis* (veteris Testamenti) *sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum; a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Qui etiam, loquens de fidelibus defunctis, ait [2]: *Orationibus vero sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus ero-*

1. In Levit., Quaest 57. n. 4, t. III, col. 517. — 2. Serm. CLXXII, n. 2. t. V, col. 827.

gantur, non est dubitandum mortuos adiuvari; ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. — Narrat etiam S. Doctor sacrificium redemptionis nostrae pro matre sua oblatum fuisse, post eius mortem, quae aliud a suis moriens non postulaverat, nisi ut sui, ubicumque essent, ad altare Domini meminissent [1].

8. — **Ratio theologica.** — Hic proprius effectus sacrificii est, ait S. Thomas [2], ut per ipsum placetur Deus: sicut etiam homo offensam in se commissam remittit propter aliquod obsequium acceptum quod ei exhibetur; unde dicitur [3]: *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium.* Atqui tantum bonum fuit quod Christus voluntarie passus est, quod propter hoc bonum in natura humana inventum, Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantum ad eos qui Christo passo coniunguntur per fidem et charitatem. Porro, missae sacrificium aliud non est, nisi applicatio ipsius Christi passionis. Duo autem sunt in peccato, culpa videlicet et poena; et culpa quidem, mediante eucharistico sacrificio per hoc remittitur, quod Christus, qui mactatus in missa offertur, passionem ex charitate et obedientia sustinuit; poena autem per hoc quod Christus in se assumpsit quidquid poenalitatis nostris peccatis debetur [4].

9. — **Exponitur.** — Ad huius rei intelligentiam, recolendum est, malitiam peccati quamdam veluti infinita-

1. Confess., l. IX, cc. XI, XII. Cf. S. Cyrill. Hierosolymit., Catech. mystagog. XXIII, n. X, p. 328. Cf. etiam Bellarmin., de Euchar., l. VI, cap. 2 et 7. — 2. 3, Quaest. XLIX, art. 4. — 4. 1 Reg., XXVI, 19. — 4. S. Thomas ibid., art. 1, 3.

tem induere ex infinita dignitate Dei qui offenditur: offensa enim est in offenso; condigna igitur expiatio praestari nequit nisi a persona infinita, cum honor sit in honorante. Ergo ex hoc quod Deo, a nobis per peccatum offenso, ipse eius Filius in missa mactatus offertur, dubitandum non est quin per eucharisticum sacrificium placetur divina maiestas atque nobis propitia reddatur.

Hinc, concludit Dionysius Cartusianus [1], *Missa est fragrantissimi sacrificii oblatio, cuius suavitatis odore reconciliatus est mundus, et foetor eius abstersus. Est quoque celebratio sacramenti quo totus mundus est sanctificatus, quantum ad virtutem et sufficientiam sacramenti. Est etiam instauratio opulentissimi, lautissimi delitiosissimique convivii, quo angeli sancti splendidissime reficiuntur ac homines. Est item Missa ventilatio causae vestrae per deprecationem et oblationem protracta. Est denique medicatio totius corporis Ecclesiae, ac summae exhibitio medicinae, atque negotium vestrae reconciliationis.*

10. — Quaestio. — *Quinam sunt effectus sacrificii eucharistici, inspecto eius valore propitiatorio?*

Resp. Sacrificium eucharisticum ordinatur ad deletionem peccati, tum mortalis, tum venialis, necnon ad remissionem poenae temporalis peccato debitae, differenter tamen.

Imprimis, quod spectat ad peccatum mortale, docet sacra Theologia, illud sola gratiae infusione deleri, quae tum per sacramenta baptismi et poenitentiae, tum per actum contritionis perfectae a Deo donatur. Igitur per eucharisticum sacrificium, non solum impetramus gratias actuales necessarias ad perfectam conversionem ad Deum, quod pertinet ad effectum impetratorium eiusdem,

1. De Sacramento Altaris et Missae celebratione. Dialogus, art. XXI, Opp. t. XXXV, p. 415.

sed etiam placatur Deus, ne secundum rigorem iustitiae suae hominem peccatis onustum, percutiat, sive illum e vita citius, ut mereretur, retrahendo, sive gratias conversionis subtrahendo, sive brachio divinae ultionis frenum auferendo: uno verbo, per eucharisticum sacrificium removetur obstaculum prohibens gratiarum continuationem. Et hoc quidem facit hoc sacrificium, tum relate ad individua, tum relate ad societatem, peccatis et criminibus nimis onustam.

Seposito huiusmodi obstaculo, iam accedit vis impetratoria eximii sacrificii Missae, quatenus, placata iam iustitia Dei, via aperta sternitur omnigenae gratiarum infusioni, tum ad peccatoris conversionem, tum ad illius in gratia iam habita conservationem: quocirca, quatenus propitiatorium, indirecte, quatenus vero impetratorium, directe concurrit hoc sacrificium efficaci conversioni hominis peccatis maculati ad Deum, omnis gratiae fontem. Hic tamen effectus, utique ex opere operato ex sacrificio derivatus, pendet aliqualiter ex dispositionibus peccatoris: quocirca mirandum non est, si interdum vacuus remaneat.

Quantum vero ad venialia peccata, dicendum est eucharisticum sacrificium, ex qua parte propitiatorium est, eodem proportionaliter modo operari eorum remissionem, quo dictum est de mortali peccato: avertit nimirum iustam Dei contra tot hominis, etsi leviores, infidelitates, indignationem, eumque propitiatum reddit atque placatum, ideoque iam dispositum ut, nonobstantibus huiusmodi infidelitatibus, divinorum beneficiorum fontem in hominem fluere sinat, ex quibus homo peccati venialis remissionem obtineat, ad quam consequendam non novae gratiae infusio requiritur, sed sufficit novus usus gratiae iam habitae.

Denique, relate ad poenas temporales peccato debitas, et solvendas vel in hoc mundo vel in alio, hoc eximio sacrificio impetramus a Deo ut ex immenso satisfactio-

num Christi thesauro solutionis pretium depromat, vi cuius tum pro vivis, tum etiam pro defunctis, poena peccato peccato debita plus minusve auferatur, secundum hominis dispositionem et iustam a Deo praefixam mensuram. — Est tamen hic animadvertendum quod cum vivi adhuc viatores et meriti capaces sint, hinc pro se satisfacere possunt, mortui vero nequaquam, sed tantummodo patiuntur poenam sibi debitam : at missae sacrificium, ex hoc capite, tenere potest locum tum satisfactionis, tum satispassionis. Hoc tamen non excludit quominus per hoc augustum sacrificium, quatenus impetratorium est, media quoque opportuna consequamur a Deo, quibus pro poena peccatis nostris debita divinae iustitiae satisfaciamus, ut dicetur articulo subsequenti.

11. — Scholion. — Silendum denique hic non est, ad hoc ut quis remissionem poenae temporalis ex hoc almo sacrificio obtineat, requiri, ut sit in statu gratiae, cum homo in peccato mortali constitutus capax non sit remissionis poenae.

Ulterius, ut effectus de quo agimus homini instrumentaliter ex opere operato obveniat, requirunt theologi characterem baptismalem; nimirum, ut ait Card. de Lugo[1], *quod fructus satisfactorius ex opere operato non communicetur eiusmodi personis* (scilicet non baptizatis et catechumenis), *concors est theologorum sententia.* Huius ratio reddi potest, quod solum per baptismum homo incorporatur passioni Christi, et virtus eius, instrumentali quodam influxu, eidem applicatur.

12. — Effectus eucharistici sacrificii relate ad peccata totius mundi. — Denique, quantum ad mundum, tot iniquitatibus et peccatis onustum, dicendum est, almo hoc sacrificio suspensum teneri divinae brachium ultionis,

1. De Eucharist. Disp. XIX, sect. X, n. 166.

ne illum iterum aquis diluvii demergat: ideoque rite missa iridi comparatur, iuxta illud [1]: *Cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus: et recordabor foederis mei vobiscum, et cum omni anima vivente, quae carnem vegetat: et non erunt ultra aquae diluvii ad delendum universam carnem. Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor foederis sempiterni quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem, universae carnis quae est supra terram.* Et rursus [2]. *Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Gyravit caelum in circuitu gloriae suae, manum Excelsi aperuerunt illum.*

Vere arcus est gloriae sanguis ille subrubeus, qui ex venis Domini nostri Iesu Christi, in calice eucharistici sacrificii scaturiens, in splendore suo aditum a terra ad caelum pandit: arcus novi Foederis, quem manus Excelsi, transubstantiationis miraculo, quotidie in totius orbis altaribus superextruit, quo divinae sapientiae, misericordiae, atque iustitiae attributa veluti refranguntur, ut illius adspectus placatus Deus generationi peccatrici parcat.

12. — Solvuntur difficultates. — I. S. Paulus ait [3]: *Sine sanguinis effusione non fit remissio,* χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Atqui in missae sacrificio nulla fit sanguinis effusio. Ergo per missam non fit peccatorum remissio.

Resp. *Dist. mai.:* non fit remissio, in se ipsa, *conc.;* in applicatione remissionis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique, sine sanguinis effusione peccatorum remissio non fit; attamen sine sanguinis effusione fieri potest applicatio remissionis, quemadmodum et in baptismo peccata remittuntur per hoc quod fructus redemptionis Christi nobis applicatur ad deletionem reatus tum culpae, tum poenae peccati originalis.

1. Gen., IX, 14, 16. — 2. Eccli., XLIII, 12, 13. — 3. Hebr., IX, 22.

II. Omnia peccata nobis remissa sunt beneficio Crucis Christi. Ergo superfluum manet missae sacrificium.

Resp. *Dist. antec.:* quoad sufficientiam, *conc.;* quoad efficaciam, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Hanc difficultatem olim praeoccupaverat et egregie solverat celeber Cardinalis Stanislaus Hosius (1504-1579), in opere *Confessio catholicae fidei, in Synodo Petricoviensi* [1]: *Est fons in medio civitatis collocatus, omnibus expositus, a quo nemo arcetur, quin eo libere uti possit: tam est autem copiosus et redundans, ut ad sordes omnium abluendas, ad sitim omnium sedandam, ad reliquas necessitates omnes omnium explendas abunde sufficiat. Num ideo tu sitim tuam explevisti, aut sordes abluisti, quod hic fons est in medio omnibus expositus, tam copiosus? Certe, nisi ad eum accesseris, nisi ex hoc hauseris, neque sordes ablueris, neque sitim sedaveris, neque ullum ex eo fructum perceperis, quamlibet sit copiosus et redundans* [2].

13. — **Quaestio.** — *Utrum sacrificium eucharisticum habeat vim immediate vel directe remittendi poenam temporalem?*

1. Viennae August., 1560, cap. 41, fol. 91. — 2. Pulchre considerationem de effectu propitiatorio huius almi sacrificii claudit Nic. Gihr sequentibus verbis: *Venons tous les jours puiser au saint autel la grâce d'une sincère pénitence. Employons le sacrifice réparateur à acquérir la connaissance claire et vive de la laideur et des suites funestes du péché, à obtenir la force et la résolution bien determinée de le fuir tout à fait. Toutes les fois que l'Agneau de Dieu qui efface les péchés du monde est immolé devant nos yeux pour la remission des péchés, nous devons humblement nous confesser coupables et dignes de châtiment; nous devons supplier le Seigneur avec instance, en vue de ce sacrifice propitiatoire, de nous remplir d'une douleur permanente de nos fautes... Unissons tous les jours nos larmes, notre repentir, nos prières nos mortifications au sang de Jésus-Christ dans le calice, afin de leur donner tout leur prix aux yeux de Dieu.* Le saint Sacrifice de la Messe, t. I, p. 178.

Resp. Affirmative, ut patet ex hoc quod, teste Concilio Tridentino, prodest missa animabus in purgatorio detentis. Atqui nequit hoc sensu prodesse, quod eis occasionem det satisfactionis actus peragendi, cum in hoc statu amplius satisfacere nequeant: unde eisdem directe remittit, in toto vel in parte, secundum divinam dispositionem, poenam quam illae satispati deberent. Porro idem Concilium eisdem terminis fatetur missam vivis etiam prodesse. Ergo concludendum est, per eucharisticum sacrificium, mirabiles Christi satisfactiones nobis ita applicari, ut, in acceptatione divina, locum teneant nostrarum satisfactionum [1].

Attamen, ex hoc perperam inferretur, poenam temporalem, peccatis nostris debitam, ita gratis a Deo per missam remitti, ut nullum Deus, in hac condonatione facienda, respectum habeat ad Christi satisfactiones. Enimvero utique posset Deus, si vellet, omnem nobis poenam gratis omnino remittere; at cum in ordine divinae iustitiae hoc habeatur, ut pro omni culpa poena proportionata solvatur, vel ab ipso peccatore, vel ab alio, eius vicem tenente, luenda, aliunde Christus pro nobis abundantissime passus sit, hinc dicendum est, per missae sacrificium, quatenus propitiatorium est, poenas utique nobis remitti, sed in quantum fructus Christi passionis nobis proportionate applicatur.

ARTICULUS IV. — *Utrum sacrificium eucharisticum sit impetratorium.*

1. — **Ratio articuli.** — Neminem latet permulta esse beneficia quibus homo indiget, ut aeternam possit salutem consequi. Nimirum, praeter temporalia bona animae ac corporis, quibus gradus fit ad aeterna, indiget

1. Cf. ED. HUGON, La Sainte Eucharistie, p. 339.

homo divina gratia, qua et peccatum vitare, et virtutis opera possit exercere. Praecipue vero indiget homo incomparabili ac supereminenti dono perseverantiae in bono, sine quo cetera bona quaecumque nihil prosunt omnino. Cum igitur compertum sit, sacrificium eucharisticum vim habere Deum propitiandi, sequitur ut inquiratur utrum etiam per illud bonà praedicta consequi possimus, seu utrum impetratoria virtute sit praeditum, eo proportionaliter modo, quo novimus orationem de se vim habere divina beneficia impetrandi. Pro quo sit

2. — PROP. — **Sacrificium eucharisticum est impetratorium.**

Imprimis, haec veritas erui potest ex illo loco S. Pauli [1], ubi iubet ille faciendas esse in Ecclesia *obsecrationes, orationes, postulationes* et *gratiarum actiones,* pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus: quandoquidem orationes et postulationes illae, secundum sanctorum Patrum expositionem, sunt ipsaemet publicae preces quae in missa fiunt; unde concludunt, Apostolum praecepisse ut sacrificium offerretur etiam pro temporali Ecclesiae pace.

3. — **Traditio Ecclesiae.** — Quod autem haec constans fuerit Ecclesiae fides, ambigendum non est. *Sacrificamus,* ait Tertullianus [2], *pro salute imperatoris;* et S. Cyrillus Hierosolymitanus haec habet [3]: *Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace,* ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης· *pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui in-*

1. 1 Tim., II, 1, 2. — 2. L. ad Scapulam, cap. 2. — 3. Catechesi XXIII, mystagog. V, n. 8, p. 327.

firmitatibus laborant, pro iis qui afflictionibus premuntur; et universim pro omnibus qui opis indigent precamur nos omnes et hanc victimam offerimus [1].

Pariter, finem sacrificii, ex hoc capite, evolvit S. Gregorius Magnus dum, moraliter commentans id quod refert Scriptura de holocaustis quae diluculo offerebat Iob pro singulis filiis suis [2], scribit [3]: *Holocaustum per singulos filios offerimus, cum pro unaquaque virtute Domino hostiam nostrae precis immolamus, ne sapientia elevet; ne intelectus, dum subtiliter currit, aberret; ne consilium, dum se multiplicat, confundat; ne fortitudo, dum fiduciam praebet, praecipitet; ne scientia, dum novit et non diligit, inflet; ne pietas, dum se extra rectitudinem inclinat, intorqueat; ne timor, dum plus iusto trepidat, in desperationis foveam mergat.*

Huc denique faciunt omnes liturgiae, in quibus inter offerendum preces pro variis necessitatibus, etiam temporalibus, praescribuntur.

4. — **Ratio theol.** — Sequitur autem haec veritas, ut cuique rem diligenter perpendenti patet, ex praecedenti consideratione. Nimirum diximus, sacrificium eucharisticum operari in nobis remissionem peccati, et quidem, tum mortalis, tum venialis. Porro fides nos edocet haudquaquam posse peccatum, mortale quidem, absque gratiae infusione remitti; peccatum autem veniale, etsi absque novae gratiae infusione remittatur, non tamen absque novo motu gratiae iam habitae. Atqui tum gratiae infusio, tum motus gratiae donum Dei est, quod nos impetrando meremur obtinere. — Deinde, si eucharisticum sacrificium vim habet Deum placandi ac illum nobis adhuc inimicis propitium reddendi, quidni poterit et illum movere ut nobis amicis ac sibi perfecte

1. Cf. S. IUSTIN., in Apolog., I, n. 17, p. 55. — 2. Iob., I, 5. — 3. L. 1, Moral., cap. XIX, t. I, p. 13.

reconciliatis uberrima gratiarum dona, imo et externa ac temporalia beneficia, quatenus haec animae saluti prodesse possint, tribuat?

5. — **Scholion.** — Quod eucharisticum sacrificium excellentissimae virtute postulationis gaudeat, ex hoc patet, quod illud in eo continetur, quod vim maxime habet Deum ad misericordiam movendi, scilicet passio Christi. *Sicut oratio*, ait Card. Bellarminus [1], ... *ex se et proprio officio, impetratoria est, sic etiam sacrificium, quod est quaedam oratio, ut sic dicam, realis, non verbalis, proprie impetratorium est.* Scilicet Dominus noster, dum in altari se pro nobis immolat, simul quoque pro nobis intercedit, Patri dolorosae suae passionis et mortis merita repraesentans. Haec autem impetrandi efficacia sequitur in missa ex opere operato, cum potiusquam in dispositionibus celebrantis et offerentium, in ipso actu sacrificii perfectivo fundetur, quo Christi merita recoluntur.

6. — **Quaestio.** — *Quasnam gratias impetrare possumus mediante sacrificio eucharistico?*

Resp. Nulla est gratia quam, mediante eucharistico, impetrare non possimus, dummodo haec ad aeternam salutem ordinetur: et hoc quidem alte Ecclesiae menti insitum esse clare apparet, ex ipsa Missalis Romani ordinatione, missas pro diversis individuorum et societatis necessitatibus continentis; confirmatur etiam ex fidelium persuasione, qui dum beneficia a Deo impetrare cupiunt, nil antiquius habent, quam ut huius insignis sacrificii virtutem ad tronum divinae misericordiae interponant.

Ulterius advertere debemus quod, si nostrae quidem orationes, debitis indutae conditionibus, infallibili quadam virtute impetratoria gaudent, multo magis id di-

1. L. VI de Euchar., II de sacr. Missae, c. IV. Opp. Ingolstadii, 1588, t. II, col. 1075.

cendum est de missae sacrificio, ex qua parte ordinatur ad beneficia nobis obtinenda: quandoquidem, si unquam, hic praecipue valet illud S. Augustini, dicentis quod Christus *orat pro nobis, ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster* [1]. Pulchre S. Franciscus Salesius [2]: *L'orayson faitte en l'union de ce divin sacrifice a une force indicible, de sorte, Philothée, que par iceluy, l'ame abonde en célestes faveurs, comme appuyée sur son Bien-aymé, qui la rend si pleine d'odeurs et suavités spirituelles, qu'elle ressemble à une colomne de fumée de bois aromatique, de la myrrhe, de l'incens et de toutes les poudres du parfumeur, comme il est dit es Cantiques* [3].

1. Enarrat. in Ps. LXXXV. n. 1, t. IV, col. 901. — 2. Introd. à la vie dévote, IIe Partie, chap. XIV. Annecy, 1893, t. III. — 3. Iuvat hic referre pulchra S. Alphonsi verba de valore impetratorio sacrificii eucharistici. *Considera*, ait, *come per mezzo della santa Messa, Dio meglio esaudisce le preghiere dei sacerdoti. Iddio in tutti i tempi, sempre che egli è pregato per i meriti di Gesù Cristo, dispensa le sue grazie: ma dice S. Giovanni Crisostomo, che nel tempo della Messa le dispensa con più abbondanza alle preghiere del sacerdote; poichè queste vengono allora avvalorate e accompagnate dalle preghiere dello stesso Gesù, che è il principale sacerdote che in questo sacrificio offerisce se stesso, affin di ottenere a noi le grazie... Il tempo in cui si celebra la Messa è appunto quel tempo in cui sta il Signore in trono di grazia, a cui ci esorta l'Apostolo di andare con confidenza, per ottenere la divina misericordia e ritrovare le grazie:* ADEAMUS ERGO CUM FIDUCIA AD THRONUM GRATIAE, UT MISERICORDIAM CONSEQUAMUR, ET GRATIAM INVENIAMUS IN AUXILIO OPPORTUNO (HEBR., IV, 16). *Dice il Crisostomo* (Hom. III, de Incompr. Dei) *che ancora gli angeli aspettano il tempo della Messa, per intercedere con più efficacia a nostro favore; e soggiunge che quel che non si ottiene nella Messa, difficilmente si ottiene in altro tempo.* La Messa, Considerazione V^a.

Articulus V. — *Utrum valor missae sit infinitus.*

1. — Valor missae in actu primo est infinitus. — Ad solvendam propositam quaestionem circa valorem sacrificii eucharistici, primo loco distinguendus venit valor missae in actu primo et in actu secundo. — Consideratus in actu primo, seu radicaliter vel quoad sufficientiam, valor missae est, qui ex ipsomet eucharistico sacrificio resultat, quod, cum sit idem ac sacrificium Crucis, infinitum secundum se aestimandum est. Etenim, in hoc sacrificio, tum principalis offerens est dignitatis infinitae, tum victima oblata est infiniti pretii: nimirum Christus ipse, Deus et homo, est tum principalis offerens, tum victima oblata. Quapropter certissime retinendum est hoc sacrificium, in actu primo, esse infiniti valoris, et quidem non ex sola institutione divina, ut voluit Vasquez [1], sed secundum se, seu ex ipsius rei intrinseca natura. — Quae cum ita sint, quaestio modo proponitur de eodem sacrificio in actu secundo, seu quoad eius applicationem et actualem efficaciam, et quidem attento valore, non latreutico et eucharistico, sive in ordine ad Deum, qui quidem infinitus est etiam in actu secundo, quatenus hoc sacrificium est Deo infinite acceptabile, sed attento valore ad nos formaliter spectante, scilicet propitiatorio seu satisfactivo, necnon impetratorio.

2. — Infinitum dupliciter acceptum. — Porro, ad quaesiti intelligentiam, sciendum est infinitum sic acceptum, id est, secundum applicationem et actualem efficaciam, dupliciter intelligi posse: uno modo, quoad subiecta ad quae valor sacrificii missae extendi potest; alio modo,

1. Disp. 230, c. 3, p. 467. Lugd., 1631.

quoad effectus quos istud sacrificium natum est in homine parere.

3. — Triplex missae fructus. — Ulterius vero iuvat tripliciter distinguere fructum sacrificii missae in actu secundo, seu quoad applicationem, relate ad subiecta ad quae huiusmodi valor extenditur. Videlicet, alius est fructus generalis pro tota Ecclesia; alius specialis, vel medius, quem aliqui etiam ministerialem vocant, pro certis personis pro quibus sacrificium specialiter offertur; alius specialissimus, pro ipso sacerdote offerente: quae distinctio ipsis verbis Ordinarii missae innuitur: *Hanc immaculatam hostiam... offero tibi..., pro innumerabilibus peccatis... meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus.* Expressius adhuc in Canone: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum* N. *et* N.; *et omnium circumstantium,* etc. Ad rem Benedictus XIV [1]: *Docet Scotus* [2], *cuius doctrinam communiter sequuntur ceteri theologi, atque ipsa etiam recipit Ecclesia, ut videre est apud Sotum* [3], *Cordubam* [4] *et Navarrum* [5], *triplicem esse missae fructum: primum generalissimum, cuius fideles omnes fiunt participes; alterum specialissimum, quo fruitur sacerdos; tertium qui dicitur medius, quemque iis sacerdos, applicat, pro quibus sacrificium offert, quod etiam optime explicavit Cardinalis Bona* [6].

4. — Praenotandum. — Porro, sat apud omnes constat fructum generalem, attento scilicet numero individuorum de illo participantium, esse infinitum: idem enim est valor si multi vel si pauci missae intersint; ex altera parte,

1. De Sacrosancto missae sacrificio, l. III, cap. VIII, n. 1. — 2. Quodlibet. XX, art. 2 et 3. — 3. De Iustitia et Iure, lib. III, q. 2, art. 2. — 4. Lib. I. quaest. 3, Notab. 4. — 5. Cap. 25, num. 92. — 6. In Tract. Ascetico de Sacrific. Missae, cap. 1, § 4.

constat etiam fructum specialissimum sive personalem extensive finitum agnosci debere, cum uni sacerdoti celebranti personaliter prosit. Igitur, dubitatio est circa fructum specialem, seu medium, qui scilicet illis obtingit, pro quibus sacerdos ratione sui ministerii sacrificium specialiter offert.

5. — **Sententia tenentium specialem fructum sacrificii missae esse infinitum.** — Porro, sunt theologi, quorum sententia S. Alphonso probabilior speculative videtur[1], qui tenent specialem missae fructum, quoad applicationem, seu in actu secundo, esse infiniti valoris; unde aiunt illud infinite specialiter applicari posse, iuxta capacitatem fidelium pro quibus offertur; ideoque sive sacrificium offeratur pro centum, sive pro mille, singuli tantum de isto fructu percipiunt, quantum unus perciperet, si pro illo tantummodo offerretur. Quorum praecipua ratio in hoc sita est, quod Concilium tridentinum definivit[2], *missae sacrificium idem* (esse), *etsi modo diverso oblatum, cum Crucis sacrificio, quod fuit infiniti valoris.* — At, contra, dicendum est

6. — PROP. — **Fructus specialis sacrificii missae in actu secundo, seu in sui applicatione, est finitus, tum extensive, tum intensive; seu tum ad certum numerum personarum, tum ad certos effectus determinatos.**

Prob. auctoritate S. Thomae. — Haec sententia, quam Cardinalis de Lugo communiorem et veriorem appellat[3], ita potest verbis S. Thomae ostendi[4]: *In quantum est sacrificium,* (Eucharistia) *habet vim satisfactivam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis*

1. L. VI. tr. III, de Euch., c. III, dub. I. Opp., Romae, 1909, t. III, p. 292. — 2. Sess. XXII, c. 2. — 3. Tr. de Euchar., D. XIX, n. 245. Illam P. Lehmkuhl apud veteres communem dicit. Theol. Mor., Vol. II. n. 183. — 4. 3, Quaest. LXXIX, art. 5.

quam quantitas oblationis: unde et Dominus dicit[1], *de vidua quae obtulit duo aera, quod plus omnibus misit. Quamvis ergo haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena.*

Idipsum expressius adhuc alibi exponit ubi, loquens de animabus in purgatorio, ait[2]: *Quamvis virtus Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiae, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur; unde non oportet quod per unum Altaris sacrificium tota poena eorum qui sunt in purgatorio, expietur; sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis: unde et quandoque plures missae in satisfactionem unius peccati iniunguntur*. Et rursus[3]: *Si suffragium pro multis factum valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituere ut pro aliquo fieret singulariter missa vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum*[4].

Ex quibus, argumentum prodit, quo negatur sacrificii missae, quod inter suffragia pro defunctis potissimum est, infinita, quod ad fructum specialem attinet, *extensive* applicatio.

7. — Propositio Synodi pistoriensis a Pio VI damnata. — Quo clarior hac super re elucescat mens Ecclesiae, iuvat ob oculos lectoris ponere propositionem trigesimam pseudo-synodi Pistoriensis, a Pio VI damnatae,

1. Luc., XXI, 3. — 2. Supplem., Quaest. LXXI, art. 14, ad 2m. — 3. Ibid., art. 13, sed contra. — 4. Cf. 4, Dist. XLV, Quaest. II, art. 4, quaestiunc. 2, sed contra.

quae sic legitur[1]: *Doctrina Synodi, qua, dum profitetur* CREDERE, SACRIFICII OBLATIONEM EXTENDERE SE AD OMNES, ITA TAMEN, UT IN LITURGIA FIERI POSSIT SPECIALIS COMMEMORATIO ALIQUORUM TAM VIVORUM QUAM DEFUNCTORUM, PRECANDO DEUM PECULIARITER PRO IPSIS, *dein continuo subiicit:* NON TAMEN, QUOD CREDAMUS, IN ARBITRIO ESSE SACERDOTIS APPLICARE FRUCTUS SACRIFICII CUI VULT, IMMO DAMNAMUS HUNC ERROREM, VELUT MAGNOPERE OFFENDENTEM IURA DEI, QUI SOLUS DISTRIBUIT FRUCTUS SACRIFICII CUI VULT, ET SECUNDUM MENSURAM, QUAE IPSI PLACET: *unde et consequenter traducit velut* FALSAM OPINIONEM INVECTAM IN POPULUM, QUOD ILLI QUI ELEEMOSYNAM SUBMINISTRANT SACERDOTI SUB CONDITIONE, QUOD CELEBRET UNAM MISSAM, SPECIALEM FRUCTUM EX EA PERCIPIANT; — *sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit ceteris paribus illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens, a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum*[2]: — *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

8. — Fructus sacrificii missae intensive finitus est. — Quod etiam *intensive* fructus sacrificii eucharistici finitus sit, evidenter deducere licet ex praxi Ecclesiae, quae ad eumdem effectum obtinendum, puta liberationem animae a purgatorio, vel conversionem alicuius peccatoris, corporis sanitatem, pestis aut belli aversionem consequen-

1. Constit. *Auctorem fidei*, 28 Aug., 1794. — 2. Sess. XXIII, c. I, de Refom.; BENEDICT. XIV, Constit. *Cum semper oblatas*, § 2.

dam, permittit pluries sacrificium offerri, quod certe non permitteret, si unico sacrificio posset impetrari quodcumque bonum, aut auferri quaecumque poena. Huius autem ratio est quia, cum hoc sacrificium habeat ex sui institutione quod sit applicativum sacrificii Crucis, hinc eius efficacia ex institutione Christi limitata est ad determinatos effectus, determinato modo producendos, attentis videlicet subiecti dispositionibus, sub speciali divinae gratiae motione.

9. — **Confirmatur.** — Sacrificium eucharisticum se habet, in ordine ad suos effectus, per modum causae cuiusdam universalis et indeterminatae. Atqui causa universalis indiget determinari per causas particulares, eius influxui subiectas, sicut videmus virtutem solis determinari ad speciales effectus producendos per causas particulares. Porro, causa particularis, qua homo subiicitur influxui sacrificii eucharistici, est devotio offerentium, vel eorum pro quibus sacrificium offertur. Ergo valor sacrificii missae in actu secundo dependet ex devotione offerentium, vel eorum pro quibus offertur. *Non perpendit* (*Deus*), ait S. Gregorius Magnus [1], *quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. — Concurrit devotio,* ait Card. Caietanus [2], *ut causa quaedam determinativa sacrificii ad hunc effectum...: unde devotio quantificans effectum sacrificii non se tenet ex parte accipientium effectum, quamvis indispositio talium ad impediendam receptionem talis effectus sufficiat: sacrificium enim non operatur per modum agentis, ut sacramenta, sed per modum oblationis;* devotio vero *tenet se ex parte concurrentium ad tale sacrificium causaliter, quomodolibet*

1. In Evangel. *Ambulans Iesus*, Matth., IV, Homil. V, t. II, p. 234. — 2. T. II, tract. 3 de celebr. Missae, caput II, t. II, p. 147. Venet., 1696.

sit causalitas ista, puta, petendo, ministrando, consulendo, adiuvando, favendo, etc. [1].

10. — Scholion. — Ex dictis sequitur quod, etsi fructus sacrificii Missae, in actu primo, infinitis hominibus aeque valeat sine singulorum detrimento ac uni soli, in actuali tamen eius applicatione, aliter est decernendum. Nam si missae sacrificium infinitum haberet in applicatione valorem, iam ex hac parte aequiparari deberet sacrificio Crucis, quod sufficientissimum fuit, non modo in se, sed etiam in sui applicatione, ad debitum totius generis humani solvendum, *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* [2]; ideoque quemadmodum illud iterari non debuit, ita nec istud iterandum foret. Ad rem S. Bonaventura [3]: *Ad illud quod obiicitur de sacrificio Crucis et Altaris, dicendum, quod quamvis idem sit, non tamen utrobique uniformiter operatur; nam in Cruce effusum est pretium in omnimoda plenitudine, sed in Altari habet effectum determinatum, cum quotidie assumatur. Et propter hoc prima oblatio non iteratur, sed secunda iteratur.*

Rursus, si missa haberet valorem infinitum in actu secundo, non esset probanda Ecclesiae praxis, plura sacrificia pro uno eodemque offerentis, vetantis quoque, et quidem sub gravissimis poenis, quominus quispiam privata auctoritate missarum reductionem attentet. Praeterea, non esset ratio cur sacerdotes tam solliciti esse deberent tot missas celebrare, quot personis se obligaverint. Denique, fidelium sensus a vero abesset dum putant maiorem sibi fructum ex plurium missarum applicatione obventurum; et sacerdos ipse celebrans saltem contra

1. Cf. R. P. Maurus Kaiser, O. P. in Anal. Eccl., vol. IV, fascic. 2, p. 93. — 2. Hebr., X, 14. — 3. In 4, Distinct. XLV, art. 2, Quaest. III, ad 4m. Opp., t. IV, p. 947.

charitatem delinqueret, si pro uno tantum incruentum sacrificium offerret, quod aliunde infinitis posset prodesse.

11. — **Corollarium.** — Ex hoc deducitur, suo eos officio impares esse qui, rebus Sacrarii praepositi, missas, quas a fidelibus litandas accipiunt, per capellanos celebrari mandant, intentione non accurate determinata: nisi enim determinata antea pro unoquoque celebrante intentio fuerit, sequetur suffragium suo determinato effectu frustrari, et fructus non applicatos manere in thesauro generali Ecclesiae. Unde reprobanda est eorum superiorum agendi ratio, qui sententiae quam impugnamus, eo quod illam probabilem censeant, innixi, nempe missae sacrificium infiniti esse valoris extensive, minus solliciti sunt de determinanda pro singulis sacerdotibus celebrantibus intentione, hac videlicet ratione quia, ut putant, unica missae oblatione omnibus Ecclesiae oneribus satisfieri potest, et tantummodo ex ordinatione Ecclesiae sacerdos tenetur ad celebrandum pro singulis offerentibus. Non enim ex solo Ecclesiae mandato sacerdos tenetur missae sacrificium pro singulis offerentibus litare, sed ex titulo iustitiae, ut constat ex hac propositione ab Alexandro VII damnata[1]: *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificium unum offerre:* aliunde, sententia probabili uti non licet, quoties periculum adest ne alienum certum ius violetur.

Suo pariter deessent muneri sacerdotes qui, hac sententia innixi quod, ut censent, missae valor sit infinitus, cum obligatione quam habent pro determinata persona sacrificium offerendi, aliam proprio marte cumularent, puta celebrandi pro populo aut pro determinata funda-

1. Prop. 10ª, die 24 Sept., 1665 damnata. Denz., 1110. *Cela suppose,* rite commentatur Nic. Gihr, *que ceux qui ont donné les honoraires éprouvent alors un préjudice réel, c'est-à-dire ne reçoivent pas autant de fruit de la Messe, que si elle avait été appliquée exclusivement à chaque individu.* Le saint Sacrifice de la Messe, t. 1, p. 146.

tione: isti scilicet, absque S. Sedis indulto, contra iustitiam graviter peccarent[1].

12. — Verba Benedicti XIV. — Iuverit hic ob oculos tenere verba quae hac super re habet doctissimus Benedictus XIV[2]: *Etsi sacrificium, ex parte rei oblatae et principalis offerentis, scilicet Christi, sit infinitae virtutis, non tamen, ita eius institutore Christo volente, infinitos producit effectus: secus, si finem excipias colendi Deum et supremum latriae actum, qui sane ex qualibet quantumvis crebro repetita divinae victimae immolatione, semper Deo exhibetur, quoad cetera quae ex sacrificio reportare intendimus, superflua esset eiusdem iteratio; semel autem posito quod effectus sacrificii finitus sit, perspicuum iam est, illud plus ei prodesse, cui applicatur, quam aliis: uti enim ratiocinatur Suarez*[3], *aut consideratur tamquam propitiatorium seu satisfactorium, et certe pro illo speciatim satisfacit, in cuius debiti solutionem Deo exhibetur; aut consideratur tamquam impetratorium, et profecto ad beneficia illi uberius elargienda Deum movet, pro quo nominatim sacerdos divinam hostiam immolans Deum exorat.*

13. — Quo pacto fructus generalis sacrificii missae infinitis etiam hominibus prodesse possit. — Attamen per hoc non excluditur, ut diximus[4], quin missae sacrificium, quoad fructum generalem, infinitis etiam hominibus possit prodesse: cum enim devotio offerentis vel eius pro quo offertur, sit veluti ratio qualificans hominem ad percipiendum fructum huius sacrificii, possint autem

1. Cf. Decret. S. Congregat. Concilii, 27 Iunii, 1625, de celebratione missarum. — 2. De Sacrosancto missae Sacrificio, l. III, c. XXI, n. 6. — 3. T. III, in 3 P. Disp. LXXVIII, sect. 1, et Disp. LXXIX, sect. 12. — 4. Num. 4.

infiniti homines devotionem ad hoc sacrificium habere et sacerdoti sacrificanti praesentia saltem mentali uniri, hinc sequitur non esse determinatum numerum eorum qui ex hoc sacrificio fructum generaliter percipere possunt. *In immolatione huius sacramenti,* ait S. Thomas [1], *est universalis effectus; quia non solum sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi pro quibus orat, et Ecclesia tota tam vivorum, quam mortuorum. Cuius ratio est, quia continetur in ipso ipsa causa universalis omnium sacramentorum, scilicet Christus.*

Porro, devotio potest esse maior vel minor, explicita, vel implicita: implicita, qualis est eorum qui se sacerdotis orationi commendant aut sacrificalia offerunt, vel praesentialiter aut saltem mentaliter adsistunt; implicita, vero, qualis supponitur devotio cuiuslibet boni christiani; et quidem in utroque casu potest sacrificium infinitis hominibus prodesse, cum non sit assignandus finis aliquis in devotis subiectis. Hoc modo igitur sacrificium missae infinitis potest hominibus prodesse: at hoc proprie pertinet ad fructum generalem sacrificii eucharistici, ut diximus.

Ex hoc constat, plures esse gradus participantium fructum generalem sacrificii missae, secundum eorum dispositionem: primo sunt qui concurrunt active, offerendo elementa, aut serviendo altari; secundo, qui adsistunt corporaliter; tertio qui adsistunt actu mentaliter; quarto, qui adsistunt habitualiter, scilicet per gratiam quam habent; quarto, peccatores, etc. — Nec tacendum, maiorem illos ex hoc sacrificio fructum percipere, quos sacerdos, in *Memento,* Deo singulariter commendat: ex hinc pia fidelium sollicitudo sacerdotem sacrificantem rogandi, ut sui ad altare recordetur.

Quae cum ita sint, videmus quod in orationibus quas in missa fundit sacerdos, nulla fit participantium limi-

1. In Io., cap. VI, lect. 6.

tatio, sed omnes quotquot sunt homines quodammodo includuntur, cum in Offertorio sacerdos protestetur se vivificum illud sacrificium pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis, imo pro totius mundi salute, se offerre. Quocirca fieri potest, ut defuncti et remoti fideles nihil quidem sciant de missa pro omnibus oblata: quia tamen, qua Ecclesiae membra, habitualem intentionem habent fructum ex tam salutifero sacrificio derivandum percipiendi, ideo tum ex actuali intentione et devotione sacerdotis offerentis, tum etiam ex propria habituali intentione ac devotione, fructum revera percipiunt, et quidem iuxta quantitatem uniuscuiusque devotionis.

14. — Verba Cardinalis Caietani. — *Una missa*, ait Card. Caietanus [1], *non perdit vim satisfactionis suae pro primo offerente ex hoc, quod pro secundo, tertio, quarto, quinto, etc., offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi; instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi missam dari, aut suo defuncto: nihil enim minus ipse habebit, si mille alii petant eamdem missam pro seipsis et aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur: immo ex huiusmodi indevotione sic petentis damnum videtur incurrere, quod minus sibi proderit* [2].

1. In 3, Quaest. LXXIX, art. 5. — 2. Meminerit lector utile esse sequentem iaculatoriam orationem saepius iterare: *Père éternel, nous vous offrons le sang, la passion et la mort de Jésus-Christ, les douleurs de la très sainte Vierge Marie et celles de saint Joseph, pour l'expiation de nos péchés, le soulagement des pauvres âmes du purgatoire, les besoins de notre mère la sainte Eglise, et la conversion des pécheurs.* 100 dies Ind. semel in die.

15. — Scholion. — Haec tamen ultima verba intelligenda sunt de fructu generali; quia si de fructu medio vel speciali agitur, retinendum est quod diximus, scilicet sacrificium missae, pro multis oblatum, non prodesse aeque singulis, ac si solum offerretur pro uno.

Revera, cum applicatio specialis sacrificii missae quodammodo ex devotione sacerdotis offerentis pendeat, haec autem finita sit, hinc sequitur fructum specialem sacrificii, in actu secundo, esse quoque finitum: unde sacrificium quod pro multis specialiter offertur non aeque singulis prodest, ac si pro uno tantum sic offerretur. Nam quod est finitum, quando in plures dividitur, non ea mensura unicuique tribuitur, qua tribueretur, si aut inter paucos divideretur, aut uni solum applicaretur, sicut si idem pretium solvatur pro multis, minus valet singulis, quam si pro uno solo solvatur; pariter orationes specialiter uni applicatae plus ei prosunt quam generales, ut constat ex articulo XIX Ioannis Wicleffi, damnato in Concilio Constantiensi [1]. Hunc vero esse fidelium sensum, constat ex eorum praxi, dum pro se specialiter sacrificium offerri postulant, aut sacerdotem rogant ut sui memoriam nominatim in sacrificio faciat. Huc etiam pertinet, ut diximus, Ecclesiae vetitum ne, qui pro pluribus celebrare tenetur, satisfaciat celebrando unam missam pro omnibus.

16. — Solvuntur difficultates. — **I.** Non propterea sacramentum minus alicui prodest, quia suscipitur a pluribus. Ergo a pari nec sacrificium, quia pro pluribus offertur.

Resp. *Nego paritatem.* — Nimirum, quando sacramentum a pluribus suscipitur, singuli suscipiunt distinctum numero sacramentum, illudque integrum; sacrificium vero,

1. Sess. VIII. 4 Maii, 1415. Verba sunt: *Speciales orationes, applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.*

quod pro multis offertur, unum idemque numero est, cuius fructus in plures dividitur [1].

II. Lux non minus illuminat multos, quam paucos; ignis non minorem calorem producit, si plures ei admovetur; lectio non minus auditur a multis, quam a paucis. Ergo similiter sacrificium missae non minus prodest, si offeratur pro pluribus, quam si pro uno tantum offeratur.

Resp. *Nego iterum paritatem.* — Nimirum, in communicatione lucis, caloris, aut sonus, non attenditur aliquid ex parte subiecti participantis lucem, calorem et sonum, sicut attenditur in participatione fructus sacrificii missae, qui potius comparatur pecuniae solutioni, quam diffusioni luminis, caloris aut vocis [2].

ARTICULUS VI. — *Utrum adsistens pluribus missis eodem tempore celebratis, omnium fructum percipere possit.*

1. — Status quaestionis. — Multorum solet quaestio proposita animos agitare, cum haud raro eveniat, ut plures distinctos sacerdotes eodem tempore in vicinis altaribus celebrantes unus idemque christifidelis non solum videre, sed etiam mentis attentione prosequi possit: unde nihil obstare videretur, quin omnium sacrificiorum fructum simul percipiat, non secus ac si missis successive celebratis interesset. Nihil quippe eorum deest, quae requiruntur ut quis dici possit valide missae interesse: adest nempe physica praesentia, adest intentio sese sacerdoti sacrificanti uniendi, quinimmo adesse etiam potest attentio ad praecipuas missae partes.

2. — Sententia affirmans. — Quae cum ita sint, nonnulli existimaverunt proposito dubio affirmativam respon-

1. FR. SYLVIUS, in 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, Quaeritur XVI. — 2. Ibid.

sionem ultro dandam esse. Sic quippe Pasqualigo qui, adducta auctoritate Card. de Lugo, Sanchez, aliorumque, scribit[1]: *Non repugnare quod quis simul audiat plures missas, si altaria in quibus celebrantur, sint ita disposita, ut simul possit iis morali modo assistere.* Et rationem reddit, *quia pro audienda missa, sufficit tantum assistentia; cum ratione ipsius dicatur assistens cooperari sacrificio et coofferre simul cum celebrante. Per eamdem autem assistentiam, potest pluribus celebrantibus assistere, si unus ratione loci non distrahat assistentiam respectu alterius.* Huic sententiae, inducta ratione motus, subscribit Card. Casimirus Gennari[2], qui tamen simultaneitatis rationem formaliter non determinat.

3. — **Praenotanda.** — Ubi, ne circa subnectendam responsionem aequivocatio incidat, advertimus, nos hic casum minime respicere de obligatione plures missas audiendi, puta qualis ex poenitentia sacramentali oriri possit: sic enim apud omnes ultro constat, adsistentiam simultaneam minime sufficere ad obligationem adimplendam, sed successivam requiri.

Nec hic dubitatur quin pio illo desiderio, quo fideles interdum tenentur, omnes missas audiendi quae forsan simul celebrantur, eorum meritum, utique ex opere operantis, augeatur, quod quidem citra omnem dubietatis aleam ex eo evincitur, quod omni ferventi desiderio, ex bona cordis dispositione, sub influxu Spiritus Sancti, promananti, correspondens debetur gratiae augmentum.

Rursus, negari haud debet, successivae adsistentiae hunc etiam, ex parte operis operantis, effectum deberi, quo utique simultanea adsistentia frustratur, scilicet meriti augmentum: quod scilicet meritum consistit in operis diffi-

1. De Sacrif. Missae, P. II. Quaest. 1291. n. 1. Venet., 1707. — 2. In Ephem. Monitore ecclesiastico, 2a Serie, Vol. V, alias Vol. XV integrae collect., p. 41.

cultate ex bona voluntate suscepti: gravius enim est et consequenter maioris meriti, ceteris paribus, diuturno tempore orationi insistere, quam brevi tantum intervallo: quod quidem meritum potissime ad satisfactionem pertinet, quae ex poenalium operum praestatione virtutem derivat.

Ulterius, advertimus, non hic a nobis respici casum de duabus vel pluribus missis simultanee oblatis sive pro anima in purgatorio detenta, sive etiam pro fideli offerente, qui casus longe diversus est a casu quem nunc contemplamur, de mera simultanea auditione plurium missarum: siquidem, ut mox contendemus, respectu adsistentium, sacrificia simul multiplicari non possunt, licet hoc fieri possit respectu animarum in purgatorio aut etiam respectu fidelis offerentis.

Denique loquimur modo de adsistentia quae sit omnino simultanea, saltem per respectum ad consecrationem, in qua, ut diximus, ipsa sacrificii ratio formaliter consistit: potest enim fieri ut plurium sacerdotum, varias partes missae simul recitantium, tamen cum ad consecrationem veniunt, unus alium praecedat, quo casu non habetur amplius simultanea illa adsistentia de qua hic loquimur [1].

Quibus ita declaratis, proposita huc quaestio revocatur, ut sciatur utrum quis ex devotione duabus vel pluribus missis, eodem omnino, quod ad consecrationem attinet, tempore celebratis, adsistens, omnium fructum tamquam auditor percipere possit, non secus ac si successive illis sacris interesset, citra tamen meritum laboris ex successiva adsistentia comparatum.

4. — PROP. — Nemo potest, ut auditor, fructum plurium missarum simul percipere, quando illarum celebratio perfecte coincidit.

1. Casus, quem nunc contemplamur non mere theoreticus est, etsi non adeo frequenter occurrat quod duo sacerdotes ultima consecrationis calicis verba, ad quod attendendum est pro formali sacrificii ratione, simul omnino pronuntient.

Suadetur. — Propositio ista primo quidem suaderi potest hac animadversione, quod si quis duabus missis simul interesse valeret, a pari possent singuli sacerdotes simul celebrantes alterius etiam missae fructum percipere; missam enim celebrans non impeditur quominus possit ad praecipuas alterius missae partes, et signanter ad consecrationem, attendere. Quod tamen inconveniens videtur, scilicet sacrificantem posse simul eodemque omnino momento, quo Deo sacrificium offert, alterius sacrificii participem fieri.

5. — Prob. rat. theol. — Ad huius rei intelligentiam, considerandum est, missae sacrificium aliud non esse, secundum rem, a sacrificio Crucis; fuit enim a Christo institutum, ut esset repraesentatio et commemoratio sacrificii Crucis, iuxta illud [1]: *Hoc facite in meam commemorationem;* et S. Thomas dicit [2]: *Celebratio huius sacramenti imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera eius immolatio, et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio.* Consequenter, per hoc sacrificium participes efficimur fructus dominicae passionis [3]; nam sicut, universaliter loquendo, idem est motus in imaginem et in rem cuius est imago, ita idipsum dicendum est de adsistentia sacrificio missae, quod de adsistentia sacrificio Crucis, in Calvaria peracto, dicitur.

Atqui talis est efficacia sacrificii Crucis, ut sit de se prorsus infinita, cum fuerit sacrificium et immolatio personae infinitae: unde hoc sacrificium iterari non debuit, sed, ut ait S. Paulus [4], *una oblatione* (Iesus) *consummavit in sempiternum sanctificatos.* Infinito autem, quantum est de se, nihil prorsus addi potest; ideoque valor unius missae, ex alia missa simul celebrata, non augetur;

1. Luc., XXII, 19. — 2. 3, Quaest. LXXIII, art. 1. — 3. Ibid. — 4. Hebr., X, 14.

at, quoniam unusquisque de fructu huius sacrificii tantum percipit quanta est eius devotio, ut diximus, hinc unica via ad fructum augendum, est augmentum devotionis in eo qui missae interest. Quocirca, si quis ex ferventiori devotione motus, cupiat fructum ex sacrificio cui actu adsistit, quantum possibile sit, percipere, potiusquam ad multiplicationem missarum eodem tempore celebratarum, ad hoc attendere debet, ut, aucta devotione, ex illo *uno* sacrificio plus percipiat: non est enim quidquam in alio sacrificio, quod in illo inveniri non possit.

6. — **Expenditur.** — Revera, sive attendatur ad rationem latreuticam, sive ad vim propitiatoriam, sive ad efficaciam impetrandi, sive denique ad virtutem eucharisticam, quae, ut diximus, in hoc augusto sacrificio continentur, omnia in actu primo infinite in una missa clauduntur, eo videlicet modo quo infinite contenta sunt in Crucis sacrificio, ita ut maius quid fingi nequeat. Mensura autem qua, in actu secundo, ista sibi unusquisque derivat, est, ut diximus, propria illius devotio: unde eo maiorem fructum ex missae sacrificio quis percipit, quo maiori devotione ipsi interest, non autem quo maior est missarum numerus, cui forte simul interesse possit. Utique maior missarum numerus simultanee celebratarum, maioris fructus causa de se existeret, si missa, absolutum haberet valorem, et valor iste finitus esset. At quia missa infinitum valorem accipit ex sacrificio Crucis quod repraesentat, ideo non potest quis duarum aut plurium missarum simul celebratarum valorem percipere, sed totum id quod percipit, ex illo uno sacrificio percipit.

7. — **Solvitur tacita difficultas.** — At, dicet quis, potest fidelis quicumque percipere fructum plurium missarum successive celebratarum: quidni, si simultanee celebrentur?

Respondemus paritatem hic deesse: siquidem cum ap-

plicatio fructus sacrificii missae ab uniuscuiusque offerentis devotione pendeat, cum autem haec devotio semper augeri possit, ideo non ita quis prioris missae fructum percipit, ut nihil postea percipere possit: sed dum unius missae fructum iam in determinata quantitate pro suae devotionis fervore perceperit, potest postea ex alia missa fructum percipere, ex tertia, etc., quod de missis contemporanee celebratis dici nequit, quandoquidem ut quis plus percipiat, non facit alia missa, sed maior adsistentis devotio respectu missae quam audit.

8. — **Confirmatur.** — Fideles, dum missae adsistunt, sacerdoti sacrificanti quodammodo consacrificant, ut eruitur ex collectis et pluribus orationibus quae sunt in *Ordinario missae*, et praecipue ex hisce verbis: *Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*, necnon ex verbis Canonis: *Memento Domine... omnium circumstantium... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Atqui absonum est, sacerdotem sacrificantem posse simul alteram missam celebrare. Ergo nec fideles duabus missis simul celebratis interesse ita possunt, ut utriusque fructum cumulate percipiant.

Idipsum evinci potest ex Ecclesiae consuetudine, quae nunquam legitur instituisse ut plures simul missae celebrentur: imo antiqua huic rei consuetudo directe adversatur, qua ut una tantum qualibet die in unaquaque Ecclesia missa celebraretur cautum erat.

Nec tacendum, ab Ecclesia non probari, imo aperte caeremoniis adversari, quod duobus sacerdotibus sacrum simul facientibus unus tantum minister inserviat, quod tamen concedi ultro posset, si utriusque sacri fructum perciperet: sic enim fidelium praesentia, ex hoc principio requisita, quod fideles simul cum sacerdote sacrificium offerunt, ut dictum est, satis per illum unicum ministrum salvaretur.

Demum, recta sacrificii eucharistici existimatio est, cum agnoscitur tamquam Crucis sacrificii repraesentatio, quod et unicum et in se sufficientissimum, imo infinitum extitit. Ad rem S. Thomas[1]: *Sicut Ambrosius dicit*[2], *una est hostia, quam scilicet Christus obtulit et nos offerimus, et non multae, quia semel oblatus est Christus: hoc autem sacrificium exemplum est illius; sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, et non multa corpora, ita etiam et unum sacrificium.*

9. — Corollarium. — Quapropter revocanda huc fidelium attentio est, ut si sacrosanctum eucharisticum sacrificium magni quidem facere voluerint, attentiores se praebeant mysteriis quae in missa peraguntur, quibus amarissima Christi passio recolitur, et ut toto animi fervore, una cum Christo in cruce moriente, Deo se devoveant, iuxta illud[3]: *In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.*

10. — Difficultas. — Solent plures contra propositam thesim eo moveri, quod offerens eleemosynas pro pluribus missis celebrandis, multiplicem pro missarum numero fructum percipit, sive hae missae successive, sive etiam simultanee celebrentur: unde idipsum de auditione simultanea plurium missarum statuendum esse decernunt. — At isti non advertunt quam diversus sit hic casus a casu quem respicimus: scilicet missae sacrificia, etiam simul celebrata, utique realiter multiplicari per respectum ad offerentes, non autem per respectum ad adsistentem. Hic enim, cum, ut diximus, quodammodo sit consacrificator, fructum ex sacrificio immediate derivat per suam physi-

1. 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, ad 1m. — 2. Haec verba false attributa S. Ambrosio, sunt quoad sensum tantummodo, B. Rabani Mauri' Arch. Moguntini, in Exposit. in Ep. S. Pauli, Lib. XXVII, super c. X, Ep. ad Hebr. in init. Migne, t. 112, col. 780. — 3. In Ordinario Missae.

cam simul et moralem praesentiam; unde, sicut absonum est sacerdotem celebrantem simul posse aliam missam celebrare, ita repugnat aliquem duobus simul sacris ita interesse ut utriusque fructum ratione suae praesentiae percipiat. At qui pluras missas, data eleemosyna, simul curat celebrari, fit fructus particeps non immediate, sed potius mediantibus sacerdotibus qui pro illo celebrant, quorum quidem respectu plura realiter sacrificia habentur.

Enimvero, si quis rem sedulo perpendat, facile deprehendet sacrificii missae, quod re idem est ac sacrificium Crucis, multiplicationem non posse attendi ex parte multiplicationis substantiae aut formae illius, cum haec una sit, sed tantummodo ex parte materiae, seu ex multiplicatione actuum quibus ista immolatio peragitur. At plures actus eiusdam speciei a multis quidem individuis perfici simul possunt, aut ab uno eodemque individuo successive, non autem simultanee; unde nonnisi de celebratione missae respectu plurium sacerdotum, aut de successiva celebratione respectu eiusdem sacerdotis intelligi debent verba S. Thomae[1]: *In pluribus missis multiplicatur sacrificii oblatio, et ideo multiplicatur effectus sacrificii et sacramenti.*

11. — **Scholion.** — Quae hucusque diximus, respiciunt simultaneam sacri auditionem, et quidem in eo quod ad consecrationem pertineat: si enim consecratio in una missa non coincidat cum consecratione in altera missa, nihil prohibet quominus utrique consecrationi adsistens fructum ex utroque fonte percipiat: quo modo etiam sacerdos celebrans, advertens in proximo altari consecrationem peragi, potest mentaliter intentionem dirigere ut ex hoc altero sacro fructum ipsemet percipiat.

12. — **Rationi Pasqualigo satis fit.** — Contra hanc doctrinam obiici possunt sequentia verba quae habet Za-

1. 3, Quaest. LXXIX, art. 3.

charias Pasqualigo, in suo opere *de Sacrificio Novae Legis* [1]: *Supponendum est, non repugnare, quod quis simul audiat plures missas, si altaria, in quibus celebrantur, sint ita disposita, ut simul possit iis morali modo assistere, ut notant etiam Lugo disp. 22 de Euchar. sect. I, num. Sanch. lib. I summ. cap. 11, n. 12, Dicastil. tract. 5 de sacram. disp. 5, dub. 9, num. 111. Gesuald. de sacram. tract. 17, cap. 2, num. 16, Leander in praecept. Eccles. tract. 2, disp. I quaest. 58*: *neque oppositum putatur probabilius a Molfesio supracitando, quia non loquitur de simplici auditione, sed de auditione in ordine ad satisfaciendum pluribus obligationibus. Ratio est, quia pro audienda missa sufficit tantum assistentia, cum ratione ipsius dicatur assistens cooperari sacrificio, et coofferre simul cum celebrante. Per eamdem autem assistentiam potest pluribus celebrantibus assistere, si unus ratione loci non distrahat assistentiam respectu alterius.*

At quis non videat illud hic praecise adseri, quod demonstrandum foret; quandoquidem missam audire est utique missae adsistere, adsistere autem missae est cooperari sacrificio et coofferre simul cum celebrante: sed quomodo potest quis simul cooperari pluribus sacrificiis, si ista plura sacrificia *unum* prorsus sunt? Re quidem vera, si quis ad hoc tantum attendat, se videre posse plures sacerdotes simul celebrantes eisque se coniungere, pluribus utique missis simul adsistere poterit: at unum prae omnibus considerandum est, quod quidem ab hisce auctoribus praetermittitur, scilicet natura huius sacrificii, quod, cum aliud non sit nisi sacrificium Crucis, ideo multiplicationem sui eodem tempore, per respectum ad eamdem personam, non admittit. Sane, hoc primum in omni disquisitione ponderandum est, scilicet quaenam sit natura eius

1. Loco cit. Quaest. 1292, n. 1.

de quo agitur: quo seposito fundamento, plura arbitrarie proferri necesse est.

13. — Quaestio. — *Utrum in missa, a pluribus simul sacerdotibus celebrata, multiplicetur fructus specialis secundum numerum sacerdotum celebrantium?* [1]

Resp. Affirmative, cum fructus ille, utpote ministerialis, proportionetur, non secus ac fructus specialissimus, offerentium actioni. Quocirca, etsi sit ibi una tantum revera oblatio et unum sacrificium [2], cum sit una tantum formaliter consecratio, tamen ex ministrorum offerentium frequentia multiplicatur fructus applicatio, fructus, inquam, ministerialis. Cuius ratio desumenda est ex radicali infinitate fructus huius sacrificii, qui fructus, ut diximus, applicatur unicuique secundum devotionem offerentis: unde sicut multiplicatis offerentibus secundariis, id est assistentibus, unusquisque fructum generalem percipit, ita multiplicatis offerentibus primariis, id est sacerdotibus, pariter multiplicatur fructus specialis, licet una tantum habeatur formaliter oblatio. Et hac quidem de causa, possent etiam sacerdotes episcopo concelebrantes eleemosynam vel stipendium accipere, nisi obstaret Ecclesiae vetitum, ut argumentatur Benedictus XIV [3].

1. Cfr. tract. de SSmo Euch. Sacram., t. I, Quaest. LXXXII, art. 2, p. 521. — 2. Hinc non ita exacte dictum legimus a Nic. Gihr: *Si plusieurs prêtres célèbrent la même messe à la fois et consacrent les mêmes éléments,..: il n'y a pas, à proprement parler, un seul sacrifice, mais plusieurs.* Le Saint Sacrifice de la Messe, t. I, p. 145. — 3. De Sacrosancto Missae sacrificio, L. III, c. XVI, n. 10, Patavii, 1768, p. 3.

Articulus VII. — *Utrum hoc sacrificium producat suum effectum ex opere operato.*

1. — Opus operantis et opus operatum. — Communis est, et longo theologorum usu consecrata distinctio inter opus operantis et opus operatum: quorum prius, ut vox innuit, ex parte subiecti rem perficientis, alterum ex parte ipsius rei peractae se tenet. Igitur, effectum aliquem ex opere operantis produci, est illum procedere, formaliter ut sic, ab agentis virtute; effectum vere produci ex opere operato est illum ab ipsa rei natura ac efficacia promanare. At rursus, dupliciter aliquis effectus potest intelligi produci ex opere operato: scilicet instrumentaliter et moraliter. Effectum produci ex opere operato instrumentaliter, est illum a re, quae adhibetur, tamquam ab instrumento, physico influxu procedere, quemadmodum gratia ex sacramentis novae Legis; effectum vero produci ex opere operato moraliter, est actionem, quae ponitur, Deum movere, ut illemet per seipsum producat effectum, quemadmodum de sacramentis veteris Legis alibi docuimus [1].

Porro, dubitandum non est, quin in missae sacrificio, effectus aliquis ex opere operantis promanet. Et quidem, operans in sacrificio eucharistico potest duplex distingui: unus, sacerdos offerens; alter, congregatio fidelium, aliquo modo cum sacerdote in hoc sacrificio offerendo communicantium; porro, ex duplici hoc capite, evidenter constat missam effectum producere ex opere operantis.

2. — Opus sacerdotis operantis in missae sacrificio. — Imprimis, sacerdos offerens potest dupliciter considerari: primo, ut est talis persona; secundo, ut est formaliter

1. Vide supra Quaest. I, art. 3, n. 14, p. 35.

minister Ecclesiae, ab illa ad sacrificium offerendum formaliter deputatus. Igitur, ut est talis persona, dubitari non potest quominus sanctitas et devotio sacerdotis conferat effectui sacrificii plenius producendo; unde S. Thomas ait [1]: *In quantum habet efficaciam ex devotione sacerdotis orantis, non est dubium quod missa melioris sacerdotis magis est fructuosa.* Et quidem, magis est fructuosa, secundum illa tria quae in omni opere bono inveniuntur: scilicet secundum augmentum meriti pro ipsomet sacerdote celebrante, secundum satisfactionem et secundum impetrationem, tum pro ipso sacerdote offerente, tum pro aliis pro quibus sacrificium offertur.

Secundum vero quod sacerdos vices gerit Ecclesiae, ab illa ad sacrificium offerendum deputatus, non est etiam ambigendum quin ex illius devotione maior fructus obveniat, at valor iste non est tantummodo ex opere operantis, verum etiam dici potest ex opere operato, cum etiam operante malo sacerdote non omnino frustretur. *Oratio in missa*, ait Angelicus [2], *profertur a sacerdote, in persona totius Ecclesiae, cuius sacerdos est minister: quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet... Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes eius orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiae; licet orationes eius privatae non sint fructuosae, secundum illud* [3]: QUI DECLINAT AURES SUAS NE AUDIAT LEGEM, ORATIO EIUS ERIT EXECRABILIS. Attamen, si sacerdos, per excommunicationem praecisus ab unitate Ecclesiae, missam celebret, licet utique ob potestatem ordinis quam retinet, consecret verum corpus et sanguinem Christi; tamen, quia in orationibus loquitur in persona Ecclesiae, a cuius unitate decidit, ideo eius orationes efficacia frustrantur [4].

1. 3, Quaest. LXXXII, art. 6. — 2. 3, Quaest. LXXXII, art. 6. — 3. Prov., XXVIII, 9. — 4. S. Thom., ibid., art. 7. ad 3$_m$.

Quae cum ita sint, dicendum est, sacerdotis missam tanto uberiorem fructum, tum impetratorium, tunc satisfactorium, tum etiam meritorium producere, quo ille sanctior et ferventior fuerit: quorum quidem fructuum duo priores, virtute communionis Sanctorum, aliis quoque prosunt: tertius vero soli prodest sacerdoti, cum sit personalis et incommunicabilis. Quocirca saepe debet bonus sacerdos haec verba Imitationis Christi, ob oculos tenere [1]: *Ecce sacerdos factus es et ad celebrandum consecratus: vide nunc ut fideliter et devote in suo tempore Deo sacrificium offeras, et teipsum irreprehensibilem exhibeas... Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adiuvat, defunctis requiem praestat, et sese omnium bonorum participem efficit.*

3. — Valor sacrificii missae ex parte operis operantis Ecclesiae. — Ex parte etiam Ecclesiae, attenditur valor impetratorius, in eo consistens quod Ecclesia, in cuius nomine sacerdos, nisi sit excommunicatus, ut dictum est, sacrificium illud offert, est sancta et immaculata Sponsa Christi, cuius preces, utpote Deo gratissimae, specialem habent, ex dilectione qua Deus illam prosequitur, efficaciam impetrandi: impetrandi autem efficacia, in oblatione sacrificii eucharistici, ex opere operantis, oritur quidem principaliter ex Ecclesiae sanctitate, ut diximus, secundario autem ex orationibus ab ipsa Ecclesia institutis, seu ex illa liturgiae dispositione, quae ad fines speciales obtinendos instituta est. Sic quippe maior est impetrandi efficacia per missam solemnem, quam per missam privatam; pariter pro defunctis pluris valet missa *de requiem,* quam missa vivorum, et habentur in Missali Romano missae pro specialibus necessitatibus institutae, quibus profecto, ad hos fines obtinendos, maior adnexa

1. L. IV, c. 5.

est spes correspondentes gratias impetrandi. Ad rem S. Thomas[1]: *In officio missae non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes: et ideo missae suffragium continet duo... scilicet orationem, et sacrificium. Ex parte ergo sacrificii oblati, missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur, et hoc est praecipuum quod fit in missa; sed ex parte orationum, magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Sed tamen iste defectùs recompensari potest per maiorem devotionem, vel eius qui dicit missam, vel eius qui iubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cuius suffragium in missa imploratur.*

4. — PROP. — α) **Missae sacrificium valorem habet ex opere operato,** β) **moraliter tamen.**

Prima pars ex sequentibus verbis Concilii Tridentini luculenter erui potest[2]: *Haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest;... haec illa est, quae per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.* Et rursus[3]: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit: una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Ex quibus ita licet arguere: Illud sacrificium, quod nulla potest offerentium indignitate inquinari, quod melius ac sacrificia veteris Legis suum producit effectum, in quo eadem est hostia ac fuit in Crucis sacrificio, suum effectum producit ex opere operato: nam, secus, malo operantis opere vitiaretur, non esset superius sacrificiis ve-

1. Supplem., Quaest. LXXI, art. 9, ad 5^{m}. — 2. Sess. XXII, cap. 1. — 3. Ibid., cap. 2.

teris Legis, nec dici posset idem substantialiter ac Crucis sacrificium. Atqui tale est missae sacrificium. Ergo missae sacrificium suum valorem habet ex opere operato. — Quapropter Angelicus ait [1]: *In suffragiis quae fiunt per malos, duo possunt considerari: primo, ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris*, etc.

5. — **Scholion.** — Ex hoc patet diversitas quae intercedit inter id, quod est, laicum sumere Eucharistiam, et sacerdotem offerre sacrificium eucharisticum pro alio: in primo enim casu, si quis effectus producitur, hoc est ex devotione operantis; in secundo vero casu, effectus ex opere operato procedit.

6. — **Secunda pars ostenditur.** — Nimirum, fructus ex sacrificio missae sequitur utique ex opere operato, sed moraliter tantum, non physice, quemadmodum sequitur ex sacramentis a Christo Domino institutis; quod est hoc sacrificium, non virtute sua instrumentaliter producere gratiam, sicut sacramenta, sed supplicationis ad instar, Deum moraliter movere ad sua beneficia hominibus impertienda, eo fere modo quo de sacramentis veteris Legis diximus. — Adest tamen differentia, quia sacrificium Eucharistiae non valet, ex opere operato, infallibiliter operando illum effectum, cuius causa offertur, sicut sacramenta veteris Legis, puta in circumcisione, et multo minus sicut sacramenta novae Legis, sed impetrando illum effectum, tunc a Deo dandum, quando et quo modo ipsi visum fuerit; quod sedulo observandum est, ad solvendam quaestionem articulo sequenti proponendam.

Nihilominus, ut recte advertit Sylvius [2], aliter valet missae sacrificium, ac valent orationes aut alia bona opera quae facimus: licet enim offerens sit malus, valet tamen

1. 4, Dist. XLV, Quaest. II, art. 1, quaestiunc. III. — 2. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, Quaeritur XIII, ad 2m, et 4m.

sacrificium eucharisticum, sive ad satisfaciendum, sive ad impetrandum ex vi sua; id est, ratione operis quod agitur, et ratione dignitatis tum rei oblatae, tum principalis offerentis.

ARTICULUS VIII. — *Ad quid valeat, ex opere operato, sacrificium missae.*

1. — Ratio articuli. — Cum quadruplex sit finis sacrificii eucharistici, ut saepius dictum est, non hic quaeritur de eo quod ad finem adorandi Deum eique gratias agendi pertinet, cum haec sponte ex ipsa sacrificii natura infallibiliter fluant, sed de eo quaeritur quod ad finem Deum propitiandi ac illius favores expetendi spectat. Nimirum, proprie hic dubitatur, quousque valeat missae sacrificium ad obtinendam remissionem peccatorum, tum quoad culpam, tum quoad poenam, necnon ad consequendos illos favores sive spirituales, sive temporales, qui ad aeternam hominum salutem ordinantur. Ubi etiam inquirendum erit de dispositionibus in subiecto requisitis, ad unumquemque effectum obtinendum.

2. — PROP. — α) **Sacrificium missae, ex opere operato, non confert immediate,** β) **sed solum mediate peccatorum mortalium remissionem;** γ) **valet tamen immediate ad alicuius poenae remissionem;** δ) **mediate tandem ad augmentum gratiae et ad culparum venialium remissionem;** ε) **denique valet ad effectus temporales obtinendos.**

3. — Prima pars exponitur. — Prima propositionis pars sibivult, per sacrificium eucharisticum non conferri, nullo sacramento vel sacramenti voto mediante, remissionem peccati mortalis, aut primam gratiam iustifican-

tem, qua quis ex iniusto fiat iustus. Secus, enim ut explicat Sylvius [1], sequeretur quod eo ipso quod pro aliquo peccatore offertur, remitterentur ei peccata, modo obex non obstaret: unde, si pro parvulo recens nato missa celebraretur, is peccati originalis remissionem consequeretur sine baptismo; et similiter si pro relapsis in peccatum mortale, offerretur, isti remissionem illius peccati obtinerent, sine sacramento poenitentiae, re vel voto suscipiendo, quod est contra doctrinam Ecclesiae.

4. — **Solvitur tacita obiectio.** — Sacramenta valent ad gratiam iustificationis conferendam. Ergo et sacrificium eucharisticum.

Resp. *Nego păritatem.* Nimirum, cum sacramenta per se primo sint ordinata ad sanctificationem suscipientis, hinc sunt elevata ad eam conferendam: sacrificium vero ex se ordinatur tum ad colendum Deum, tum ad aliquid ab eo impetrandum, necnon ad satisfaciendum, ideoque non oportuit ipsum elevari ad effectum sacramentorum proprium, qui est conferre immediate remissionem peccati mortalis et primam gratiam [2].

5. — **Secunda pars.** — Quod autem hoc sacrificium valeat mediate ad remissionem peccatorum mortalium, patet; quia, ut habet Concilium Tridentinum [3], *huius oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit:* nimirum, valet hoc sacrificium, et quidem ex opere operato, ad obtinendum peccatori illud poenitentiae donum, quo remissionem peccatorum suorum obtineat. Igitur, licet hoc sacrificium non operetur gratiam in anima sicut sacramenta, tamen vi sua et ex dignitate rei quae offertur, valet ad impetrandum peccatori, etiam

1. Loco cit., Quaeritur XIV. — 2. Sylvius, h. l. — 3. Sess. XXII, cap. 2.

prius averso, veram poenitentiam una cum desiderio sacramenti suscipiendi, secundum illud S. Thomae [1]: *Peccata mortalia... delet* (sacrificium missae), *non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis... impetrat* [2].

Porro, non est censendum, hunc effectum remissionis peccatorum mortalium sequi infallibiliter in omnibus, sive scilicet sint rite dispositi, sive non: videmus enim interdum conversionem impetrari uni obstinato in peccato, non autem alteri, licet pro utroque aequaliter sacrificium offeratur; obtinetur tamen infallibiliter, ex opere operato, omnibus rite dispositis, dicente Tridentino [3]: *Sacrificium istud vere propitiatorium* (est), *per ipsumque* (fit), *ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno;* cui cohaeret illud S. Thomae [4]: *In quantum est sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non praeexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum; et ideo, si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii a quo omnis gratia in nos influxit;* quo etiam faciunt haec verba [5]: *Hoc sacrificium... non habet effectum, nisi in illis qui coniunguntur huic sacramento per fidem et charitatem;* id est, peccati remissio non contingit infallibiliter, tamquam effectus huius sacrificii, nisi illis qui veram poenitentiam habent, seu qui congruenter sunt dispositi, quamvis possit etiam non poenitentibus interdum impertiri. — Attamen, notat opportune Sylvius [6], haec ipsa dispositio, quatenus ponitur necessaria ad peccati remissionem, et interdum est effectus huius sacrificii, non requirit aliam

1. 4, Dist. XII, Quaest. II, art. 2, Quaest. II, ad 4[m]. — 2. Cf. Bellarmin., De Euch., l. VI, cap. 4. — 3. Loco cit. — 4. 4, Dist. XII, loc. cit. — 5. 3, Quaest. LXXIX, art. 7, ad 2[m]. — 6. Loco cit.

praeviam dispositionem, sed de se ipsa sufficit ad effectum plenae remissionis peccatorum obtinendam.

6. — Tertia pars. — Sacrificium missae valere immediate ac infallibiliter, ex opere operato, ad alicuius poenae remissionem, docet Angelicus, dicens[1]: (Eucharistia), *in quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam,* et quidem pro vivis et defunctis, si ad hoc offeratur, et hi purgatione indigeant. Igitur, eucharisticum sacrificium, ad hunc effectum applicatum, poenam tollit, vel in toto, vel in parte, secundum mensuram poenae peccato debitae et devotionis qua sacrificium offertur, dummodo non sit ex parte subiecti repugnantia[2]. Huc faciunt verba Card. Bona[3]: *Constans semper fuit catholicorum sententia, habere hoc* (sacrificium) *infallibiles et determinatos effectus ex opere operato, nisi ille pro quo offertur obicem ponat, remissionem videlicet alicuius poenae peccatis iam remissis debitae vel donum alicuius gratiae praevenientis, ad obtinendam commissorum remissionem.*

7. — Quarta pars. — Tandem dicitur sacrificium eucharisticum mediate valere ad augmentum gratiae necnon ad remissionem culparum venialium, quatenus vi huius sacrificii obtineri potest bonus aliquis motus, gratiae meritorius et peccati remissivus. Igitur hoc sacrificium non confert augmentum gratiae, nec culpas veniales remittit immediate, id est sine ullo actu vel merentis, vel peccata venialia detestantis, quia non est institutum ut ipsum per se mutationem operetur interius; collatio vero gratiae vel remissio peccati venialis non fit sine mutatione animae. Si secus esset, dici deberet quod parvulus, vel antequam usum rationis adipiscatur, si pro ipso

1. 3, Quaest. LXXIX, art. 5. — 2. 4, Dist. XII, Quaest. II, art. 2, Sol. III. Cf. etiam Conc. Trid., Sess. XXII, canon. III. — 3. De Sacrificio Missae Cap. I, § 3.

missae sacrificium celebraretur, magis magisque sanctificaretur, quod communi Ecclesiae sensui repugnat. Et in hoc patet differentia inter sacrificium et sacramentum, quod parvulis quoque, usum rationis nondum adeptis gratiae augmentum ex opere operato immediate producit.

8. — Quinta pars. — Ad effectus temporales impetrandos singularem vim habet hoc sacrificium, non tantum ex devotione offerentium, sed etiam ex dignitate oblationis et rei oblatae [1], et sic quadam ratione, ex opere operato, non tamen proprie et infallibiliter, quia tantum ad effectus formaliter spirituales est institutum; unde et effectus temporales non sunt petendi, nisi quatenus conducunt ad spiritualia [2]. Quapropter in missis quae pro aliqua necessitate temporali celebrantur, semper in orationibus spirituales effectus ex bonis temporalibus derivandi petuntur, quatenus *sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna* [3]. Igitur, nihil officit quominus dicatur haec quoque bona, sicut poenarum relaxationem, immediate a sacrificio missae obtineri, cum et per orationem aliaque bona opera immediate comparari valeant.

9. — Corollarium. — Ex doctrina hucusque exposita evidenter resultat, non posse admitti eorum sententiam [4], qui voluerunt ad omnes, etiam sacramentales effectus gratiae producendos, directe et immediate valere eucharisticum sacrificium, quasi eidem sit quaedam universalis causalitas directe adscribenda: hoc enim proprium est sacrificii Crucis, secundum quod distinguitur a sacrificio missae, cuius efficacia nonnisi ad finitos et determinatos effectus se extendit.

1. Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, can. 3, ubi dicitur hoc sacrificium rite offerri *pro aliis necessitatibus*. — 2. Sylvius, h. l. — 3. Collecta Dom. III post Pentec. — 4. Hos inter recensentur Catharinus, Thalhofer et Oswald.

10. — Dispositio requisita ad effectus sacrificii eucharistici suscipiendos. — Ex dictis etiam colligi potest, quaenam dispositio requiratur in eo pro quo offertur sacrificium, ut varios illius effectus suscipiat. Nimirum *primo,* ut quis virtute huius sacrificii perducatur ad remissionem peccatorum, sacramento ad hoc instituto quaerendam et infallibiliter percipiendam, recta fides ac vera poenitentia praerequiruntur remissioni peccatorum. *Secundo,* ad remissionem poenae, sufficit status gratiae ac sincera devotio. *Tertio,* ad obtinendum augmentum gratiae, peccatorum venialium remissionem, necnon auxilium contra tentationes, et in genere ad omnia bona sive spiritualia, sive temporalia conducentia ad vitam aeternam consequenda, sufficit recta mentis intentio atque bona cordis devotio [1].

1. Pulchre excellentiam eucharistici sacrificii R. P. Ed. Hugon compendio repetit, Missam comparando, hinc cum Calvario, illinc cum caelo. I. La Messe et le Calvaire. *C'est le même prêtre, c'est la même victime, ce sont des miracles analogues, ce sont les mêmes effets. — Le même prêtre: l'ordination sacerdotale nous consacre les instruments du Christ, nous donne, pour ainsi dire, ses traits et sa figure, au point que le prêtre devient un autre Christ,* sacerdos alter Christus. — *La même victime... La messe... met dans un état de mort ce Christ glorieux qui, même après l'action du sacrifice, consent à rester parmi nous, — Des miracles analogues: si la terre fut ébranlée à la mort du Christ, la nature est ébranlée par l'incroyable miracle de la consécration,... — Les mêmes effets: sur le calvaire la somme qui paie nos dettes fut donnée et versée; par la messe elle est, pour ainsi dire, monnayée, touchée, appliquée.* — II. La messe et le ciel. *La messe comporte un double courant surnaturel: celui de la terre vers le ciel, des hommes vers Dieu; celui du ciel vers la terre, de Dieu vers les hommes. Le prêtre est chargé de l'établir.* La Sainte Eucharistie, pp. 358, 359.


QUAESTIO QUARTA

DE IIS PRO QUIBUS SACRIFICIUM MISSAE OFFERRI POTEST

PROLOGUS

1. — **Ratio quaestionis.** — Ex quo traditum est, sacrosanctum missae sacrificium, in seipso, seu in actu primo, valorem habere infinitum, in actu secundo vero, seu in sui applicatione, talem extensive valorem habere posse, qualis est numerus hominum sese per devotionem, sive actualem, sive habitualem, sacerdoti offerenti unientium, sponte sequitur excellentissimum hoc bonum pro aliis ab ipsomet sacerdote offerri posse. Attamen remanet nunc determinandum, non solum generaliter, utrum sacerdos officio teneatur illud sacrificium pro aliis a se applicandi, sed etiam specialiter quibusnam personis hoc facere possit.

2. — **Ordo quaestionis.** — Duo igitur hic determinanda venient: primo, an sacerdos sacrificans debeat hoc sacrificium pro aliis a seipso offerre (1-2), et quidem sive res absolute consideretur (1), sive consideretur per respectum ad stipendii oblationem (2); secundo, quinam illi sint pro quibus hoc sacrificium offerri valeat (3-6); et quidem, tum generaliter, inquirendo utrum aliquibus personis in speciali possit offerri (3), tum specialiter, consideratis, primo, aliquibus viventibus, quales sunt excommunicati (4), et secundo, defunctis (5-6), sive in purgatorio poenas sumentibus (5), sive cum Christo iam in caelo regnantibus (6).



Igitur, sex sunt quae in hac quaestione quaeruntur.

Primo. Utrum sacrificium missae offerri debeat pro aliis ab ipso sacerdote sacrificante.

Secundo. Utrum liceat sacerdoti celebranti stipendium pro missa accipere.

Tertio. Utrum eucharistici sacrificii applicatio pro aliquibus specialibus personis rite fieri possit.

Quarto. Utrum sacrificium missae offerri possit pro iis qui sunt extra Ecclesiam.

Quinto. Utrum offerri possit pro defunctis in purgatorio existentibus.

Sexto. Utrum offerri possit pro sanctis in caelo regnantibus.

ARTICULUS I. — *Utrum sacrificium missae offerri debeat pro aliis ab ipso sacerdote sacrificante.*

1. — Eucharistia est simul sacramentum et sacrificium. — Ad huius quaesiti solutionem, recolendum primo venit, Eucharistiam simul esse sacramentum et sacrificium. Et quidem, ut est sacramentum, Eucharistia ordinatur ad sanctificationem individui; unde sicut nemo potest baptizari aut poenitere pro alio, ita nemo potest recipere Eucharistiam, ut sic, pro alio [1]. Ut autem est sacrificium, Eucharistia ordinatur ad supremum Dei cultum agnoscendum, ad gratias ei agendas, ad illum placandum, ut peccata remittat, bona quaeque conferat. Est igitur quaestio utrum bona huiusmodi sacerdos sacrificans sibi soli applicare possit, an eadem aliis quoque derivare debeat.

2. — PROP. — Sacrosanctum missae sacrificium sacerdos non pro se tantum, sed etiam pro aliis offerre debet.

Prob. — Sacrosanctum missae sacrificium offerri debere pro aliis ab ipso celebrante, ipse Dominus noster verbis non obscuris tradidit, cum calicem consecratum indigitans, ait [2]: *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* ubi distinctionem Christus aperte insinuavit inter Eucharistiam ut est sacramentum, et eamdem ut est sacrificium, quasi diceret, *qui pro vobis,* scilicet sumentibus, *et pro multis,* scilicet aliis, *effundetur* [3]. Unde in Canone Missae dicitur: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum,*

1. Cf. tr. DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO, Quaest. LXXIX, art 7, p. 391. — 2. Ita in Ordin. Missae, ex MATTH., XXVI, 28; et LUC. XXII, 20. — 3. 3, Quaest. LXXIX, art. 7.

... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae.

Hanc veritatem eloquenter resonat S. Ioannes Chrysostomus, dum ait [1]: (Sacerdos sacrificans) *pro universa terra oratorem agit, Deoque supplicans, ut omnium peccatis sit propitius.*

3. — **Ratio theol.** — Huius rei propria ratio est, quia hoc intrinsece muneri sacerdotis adnectitur, ut ille pro aliis intercedat, dicente S. Paulo [2]: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum,* id est, ut eorum causam agat apud Deum, eorumque sit interpres et conciliator in iis quae sunt apud Deum agenda, ait Sylvius [3]. Tum sequitur S. Paulus: *Ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,* non suis tantum, sed etiam populi: *debet* enim, *quemadmodum pro populo, ita et pro semetipso offerre pro peccatis.* Aliunde videmus quod antiquitus sacerdotes non solum sub Lege, sed etiam ante Legem, ut Iob et Melchisedech, pro aliis sacrificia obtulerunt: porro sacerdotes novae Legis nihil prae illis minus habere debent. Quocirca, non pro se tantum, sed pro aliis quoque scire debet unusquisque sacerdotum, se sacrificium offerre debere.

4. — **Confirmatur** haec veritas ex liturgia, quae sacrificium tamquam actionem sacerdoti et populo communem exhibet. Sic, in offertorio dicitur: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris... Sic fiat sacrificium nostrum hodie... Orate, fratres, ut meum ac vestrum sa-*

1. Πάσης μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης πρεσβεύοντα, καί δεόμενον ταῖς ἁπάντων ἁμαρτίαις ἵλεων γενέσθαι τὸν Θεόν. De Sacerdot., l. VI, n. 4. Migne P. Gr. t. 48, col. 680. — 2. Hebr., V, 1, seqq. — 3. In Quaest. LXXXIII, art. 1, Quaer. VII.

crificium acceptabile fiat... Sacrificium laudis quod tibi offerimus, vel quod tibi offerunt, etc. Offerunt quidem fideles missae sacrificium, dum fide et devotione sacerdotis oblationem prosequuntur, vel eidem offerenti adsistunt, vel ad sacrificium necessaria subministrant. Cum hoc tamen stat, solum sacerdotem esse immediatum ac proprie dictum offerentem: quapropter saepe singularis numerus usurpatur: *Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego offero tibi,* etc. [1]; et rursus, dum missam absolvit, dicit sacerdos[2]: *Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servituti meae, et praesta, ut sacrificium quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile.*

5. — **Scholion.** — Dubitari non potest, fructum generalem eximii huius sacrificii totam pervadere Ecclesiam, atque usque ad omnia illius membra pertingere, plus, minusve, iuxta uniuscuiusque fidem ac devotionem, atque attentis singulorum necessitatibus: quocirca praecellenti huic salutis soli applicari possunt illa Psalmi verba[3]: *A summo caelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.* Nemo igitur, nisi sit ab Ecclesiae communione formaliter praecisus, huius excellentissimi sacrificii fructus participatione frustratur, quem ut copiosiorem percipiat, debet unusquisque conari illo se dignum reddere per omnis culpae remotionem, et maiorem animi fervorem [4].

Quae cum ita sint, utiliter fideles monebuntur, plurimum se, ex sacrosancto sacrificio eucharistico, fructum derivare posse, si tantum sacerdoti sacrificanti mente et corde uniti fuerint, quod egregie exponit Bos-

1. Ord. Miss., in offert. — 2. Ibid., ante benedict. — 3. Ps. XVIII, 7. — 4. Vide supra, Quaest. III, art. 5, n. 13, p. 158.

suet, ubi loquens de Offertorio, ait [1]: *Il faut songer que le prêtre offre au nom de toute l'Eglise; et qu'en lui et par lui, tous les assistants doivent aussi offrir à Dieu leur sacrifice; de sorte que la meilleure manière de participer à cette sainte action, c'est de s'unir à l'intention du prêtre offrant, et de s'offrir a Dieu avec Jésus Christ, comme une hostie vivante, pour accomplir sa volonté en toutes choses.* Et rursus [2]: *Cet endroit de la messe est très important. Le prêtre, prêt à entrer dans l'action du sacrifice, se retourne pour avertir les assistants que c'est en leur nom qu'il va offrir, et il demande la société de leurs prières dans le sacrifice qu'ils doivent offrir avec lui.*

6. — Patrum ac scriptorum catholicorum effata. — Porro doctrinam hanc Patres scriptoresque catholici constanter tenuerunt, dum posito quod sacerdos quidem sit proprie ac immediate offerens, quatenus ipse solus complet actionem sacrificalem, quae, ut diximus, in consecratione formaliter consistit, aperte tradunt fideles et ipsos esse quodammodo offerentes, quatenus videlicet sacerdoti uniuntur, sacrificii fructum percepturi. Sic S. Irenaeus scribit [3]: *Omnes enim iusti sacerdotalem habent ordinem,* quod eodem sensu intelligendum est ac illud S. Petri, dum fideles vocat [4], *sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* S. quoque Hieronymus commemorat *sacerdotium laici* [5]. Pariter, S. Petrus Damiani haec habet [6]: *Luce clarius constat quia sacrificium, quod a sacerdote sacris altaribus superponitur, a cuncta Dei familia genera-*

1. *Manière de bien entendre la sainte Messe,* Œuvres complètes t. XXVIII, p. 300. Paris, 1826. — 2. Ibid., Ad *orate fratres.* — 3. Contra Haeres., l. IV, cap. 8, n. 3, al cap. 18, p. 237, Venet., 1734. — 4. 1 Ep., II, 5. — 5. Altercat. Lucifer. et Orthod., n. 4, t. II, col. 174. — 6. In opusc. *Dominus vobiscum*, cap. 8. MIGNE, P. L. t. 145, col. 237.

liter offertur; quibus consonant illa Guerrici abbatis [1]: *Neque enim credere debemus quod soli sacerdoti supradictae virtutes sint necessariae, quasi solus consecret et sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus conventus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat* [2]. Hisce videlicet et similibus locis, laici consecrare aut sacrificare dicuntur, ratione participationis ex parte fidelium, quos proinde prohibere nequit sacerdos, quin de sacrificii copiosissimis fructibus, generali scilicet quadam ratione, participent.

7. — **Solvitur difficultas.** — S. Augustinus negat sacrificium recte offerri, nisi quod offertur, ab eis accipiatur pro quibus offertur [3]. Atqui fideles saepe de hostia in altari oblata non participant. Ergo.

Resp. S. Augustinus negat rite offerri, nisi ab aliquo eorum pro quibus offertur, revera sumatur: hoc autem semper accidit, cum celebrans hostiam, pro se et pro populo oblatam, semper consumat.

Articulus II. — *Utrum liceat sacerdoti celebranti stipendium pro missa accipere.*

1. — **Errores.** — Fidelium morem pecuniam, stipendii instar, celebraturo sacerdoti, offerendi, Lutherani et Calviniani, tamquam simoniae crimen, acriter improbarunt, quasi videlicet pro re sacra pretium sacerdos aut exigeret, aut saltem acciperet, et quasi haec consuetudo malorum et incommodorum, ob sacerdotum avaritiam, parens existat: quam quidem sententiam nonnulli etiam e

1. Serm. V de Purif., 16, Migne, 185, col. 87, — 2. Cf. Perrone, tr. de Eucharistia, c. III, prop. IV, Diff. Cf. tract. n. de SS.mo Eucharistiae Sacramento, Quaest. LXXXII, art. 11, n. 8, p. 519. — 3. L. IV de Trin., c. 14, n. 19, t. VIII, col. 823.

catholicis non ita pridem amplexi sunt. — Quod ut plenius refutetur, primo loco erit breviter dicendum de veteri more, quo fideles suam sacrificii partem offerebant.

2. — **Fideles olim, qui ad missam conveniebant, suam sacrificii partem offerre solebant.** — Principio quidem, agapis, seu sacris conviviis institutis, mos fuit ut singuli fideles panem et vinum, aliaque ad convivium spectantia, ad Ecclesiam adferrent; detractaque illa panis et vini parte quae ad sacrificium ordinabatur, reliquum communi illi convivio perficiendo destinabatur. Desinente vero agaparum usu, oblationum tamen usus diu retentus est [1]. Licet vero nullus cogeretur offerre, turpe tamen existimabatur, si qui potuissent, offerre recusassent; unde S. Cyprianus feminam reprehendit quae, cum esset dives, nihil tamen obtulerat [2]; illorum vero nomina, qui notabiles Ecclesiae oblationes fecissent, publice recitabantur. Non tamen omnes passim huiusmodi eucharisticas oblationes facere permittebantur; sed id vetitum eis manebat qui in haeresim incidissent, aut utcumque a communione ecclesiastica decidissent [3], necnon poenitentibus, etsi iam in summo consistentium gradu positis [4]. Ubi celebre est illud S. Ambrosii, Valentinianum imperatorem serio commonentis, ne quid ad idololatriam restituendam conferret, quoniam si id fecisset, eius Ecclesia oblationes repudiasset [5]. Ex oblatis vero pane et vino Eucharistiae elementa desumebantur; quod vero supererat clericis et pauperibus clericis distribuebatur [6]. — At vero desinente more offe-

1. Cf. THOMASSINUS, Vet. et nov. discipl., P. III, l. III, c. 47, n. 1. — 2. L. de oper. et eleemosyn. n. 15, MIGNE P. L. t. 4, col. 612. Cf. Card. BONA, rer. liturgic., l. II, c. 9, § I, p. 198. Opp., t. III ed. Taur. — 3. Cf. TERTULL., de Praescript., c. 30. — 4. Cf. Conc. nic., c. 11; Ancyran., can. 4, 5; ubi poenitentes huiusmodi appellantur κοινωνοῦντες χωρὶς προσφορᾶς, *sine oblatione communicantes*. — 5. S. AMBROS., Epist. XVII, ad Valent. t. V, col. 365, Mediol. 1881. — 6. Cf. S. IUSTIN., Apologet., I, c. 67, MIGNE, P. Gr. t. 6, col. 430.

rendi panem et vinum in sacrificium, iam pecunia offerri coepit, unde honoraria missarum ortum duxerunt.

3. — **Missae honorarium.** — Est igitur missae honorarium certa pecuniae summa, quae sacerdoti rem divinam conficienti, non quidem quasi consecrationis eucharisticae pretium, quod profecto simoniacum foret, sed tamquam iustum sacerdotis stipendium offertur, iudicio episcopi determinandum, ad quem spectat iudicare quid singulis presbyteris in variis regionibus, ad vitam honeste traducendam, necessarium sit, et consequenter definire quanta sacerdoti sacrificanti pecuniae summa sit offerenda[1]. — Quae cum ita sint, iam statuendum ducimus

4. — PROP. — **Licitum est pecuniam sacerdoti sacrificanti offerre, ut missam pro speciali intentione celebret.**

Imprimis potest haec doctrina implicite erui ex istis S. Pauli verbis[2]: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Quae quidem ita explicat S. Thomas[3]: Accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia, est crimen simoniae, quod nulla consuetudine potest excusari, quia consuetudo non praeiudicat iuri naturali vel divino: per pecuniam autem intelligitur omne illud, cuius pretium potest pecunia aestimari. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum: non enim sumitur tamquam pretium mercedis, sed tam-

1. Cf. BENEDICT. XIV de Synodo Dioeces., l. V, c. 9. — 2. 1 Cor., IX, 13, 14. — 3. 2 2ae, Quaest. C, art. 2, ad litt.

quam stipendium necessitatis. Unde concludit[1]: *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiae, aut Missae decantandae: hoc enim esset simoniacum; sed quasi stipendium suae sustentationis.*

Huc quoque faciunt quae habet idem Angelicus Doctor[2]: *Facere pactionem de missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen* (sacerdos) *non habet alios sumptus, et non tenetur ex officio missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti sacerdotes faciunt; non quasi pretium missae, sed quasi sustentamentum vitae.* Nec tacendus Gersonius qui ait[3]: *Sufficere in primis debet ad consensum huius veritatis usus totius communis Ecclesiae, qui sic habet et recipit, cui si quis detrahit, imprudenter se decipit.* Et rursus[4]: *Nihil aequius secundum omnem legem esse deducit Apostolus[5], quam qui altari deservit, de altari et vivat.*

5. — **Scholion.** — Quoad mala vel incommoda, quae hac in re ex sacerdotum avaritia oriri possunt, provisum est a Concilio Tridentino, cum sancivit[6] ut episcopi *cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.* Similes admonitiones pluries edidit Ecclesia, quibus aperte ostenditur, quantum abusus deploret qui hominum nequitia vel in sanctissimas res interdum irrepserint, ob quos tamen abusus nefas esset tollere missarum honoraria: sic enim et cetera bona, quibus hominum vita honestatur, non ideo sunt supprimenda, quia eis plures abutuntur[7].

1. Ibid., ad 2m. — 2. In 4, Dist. XXV, Quaest. III, art. 2, quaestiunc. 1, ad 4m. — 3. Opusc. de sollicit. ecclesiastic., tom. II, part. 19, pag. 603. Antuerp., 1706. — 4. Part. 6, pag. 599. — 5. 1 Cor.. IX, 13. — 6. Sess. XXII, Dec. de observ. et evit. in celebr. missae. — 7. Cf.

Articulus III. — *Utrum sacrificii eucharistici applicatio pro aliquibus specialibus personis rite fieri possit.*

1. — Ratio articuli. — Ex eo quod in articulo praecedenti conclusum est, non posse sacerdotem a participatione sacrificii eucharistici quemquam arcere, videretur sequi in illius potestate non esse, fructum augusti illius sacrificii alicui singulari personae specialiter applicare: hac igitur de causa, praesens instituitur quaestio, pro qua solvenda, recolenda est distinctio superius tradita [1], inter fructum generalem et fructum specialem: et quidem, cum de fructu generali hucusque actum fuerit, nunc sermo formaliter est de fructu speciali.

2. — Error Synodi Pistoriensis. — In quo statim nobis occurrit sententia Patrum pseudosynodi Pistoriensis, qui, uti recitavimus [2], utique profitebantur se credere sacrificii oblationem ad omnes extendi, ita ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum, tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis; at simul non admittebant, in arbitrio esse sacerdotis, applicare fructus sacrificii cui vult; imo, addebant illi Patres, *damnamus hunc errorem, velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram quae ipsi placet.* — Ex quo ulterius procedebant, traducentes velut falsam, opinionem in populum invectam, secundum quam illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti ad

---

Benedict. XIV, Bullar., I, p. 56; cf. etiam decreta super celebratione Missarum, S. Congreg. Conc. sub Urbano VIII, 27 Iun., 1625, tum sub Innocentio XII, 23 Nov., 1697; tum sub Pio X, 11 Maii, 1904.

1. Quaest. praeced., art. 5, n. 3, p. 151. — 2. Prop. XXX. Vide supra, Quaest. III, art. 5, n. 7, p. 153.

missam pro speciali intentione celebrandam, specialem ex ea fructum se percipere confidunt. — Contra quos statuimus

3. — PROP. — **Sacerdos potest specialem sacrificii eucharistici fructum aliquibus designatis personis particulariter applicare.**

Prob. — Imprimis, potest haec veritas inferri ex sequentibus verbis Concilii Tridentini [1]: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre*, etc.; nimirum, si pastoribus ex divino praecepto munus incumbit specialem pro suis ovibus sacrificii oblationem faciendi, hinc sequitur hoc sacrificium pro determinatis personis aut personarum ordinibus, a sacerdote offerri posse. Quocirca, ex praecedentibus verbis, Benedictus XIV rite infert [2], *eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missae celebrare, sed etiam illius fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illum pro aliis applicare.*

Ad idem refertur condemnatio lata a Pio VI, in Constitutione dogmatica *Auctorem fidei*, in praefatam Synodi Pistoriensis positionem. Nimirum praedicta doctrina, sic intellecta, ut *nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus, faciendam commendat ac praecipit Ecclesia*, a Summo Pontifice Pio VI damnatur ut *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

4. — **Error Wicleffi.** — Revera, huic Synodi pistoriensis positioni affinis valde erat error Wicleffi, in Con-

1. Sess. XXIII, cap. 1 de Reform. — 2. In Encycl. *Cum semper*, in illius Bullario, t. I, p. 367, § 2.

cilio Constantiensi damnatus [1], qui sic audiebat: *Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eisdem, quam generales ceteris paribus.* Ex quo licet arguere: Doctrina Ecclesiae est, ex specialibus orationibus, specialem iis pro quibus fiunt, fructum obvenire. Ergo multo magis specialiter proderit alicui determinatae personae missae fructus, si eidem modo speciali applicatus fuerit: quandoquidem missa optima orationum est.

5. — **Ecclesiae traditio.** — Quod autem haec doctrina sit revera catholica, apparet ex pluribus Patrum, vel antiquissimorum, apertis testimoniis, necnon ex constanti Ecclesiae praxi.

Et primo quidem, ex Patribus, citari potest Tertullianus, qui de priori sua uxore defuncta loquens, ait [2]: *Pro cuius spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis* [3]. Similiter legimus apud S. Cyprianum [4], illum noluisse ut, iuxta antiquos canones, sacrificium offeretur pro anima Victoris, qui clericum constituerat bonorum suorum oeconomum. Pariter Eusebius, in vita Constantini imperatoris [5], testatur oblatum fuisse pro illius anima sacrum sacrificium; quod pro matre sua factum pariter fuisse, refert S. Augustinus [6], in cuius vicissim obitu idipsum praestitum narrat Possidius, scribens [7]: *Nobis coram, pro commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est.*

Patet autem constans Ecclesiae praxis potissime ex missis, quas in variis sacramentariis consignatas legimus, et quae ab antiquis temporibus pro singularibus personis, personarum coetibus, ac etiam negotiis celebrari consue

1. Prop. 19. Denz.-B., n. 599. — 2. L. de exhort. castit., c. 11, t. I. p. 115. Paris., 1658. — 3. Similia habet in l. de Monog., c. 10., ibid., p. 339. — 4. Epist. I, alias LXVI, ad Clerum et Pleb. Furnitan. Oxonii. 1750. p. 169. — 5. L. IV, cap. 71. Moguntiae, 1672, p. 562. — 6. L. IX Confess., cap. 12, n. 32, t I, col. 168. — 7. Opp., t. X, in append. cap. 31, p. 280.

verunt, uti, verbi gratia, pro imperatore, pro rege, pro sponsis, etc. [1]. Ad idem referri possunt orationes in eisdem sacramentariis aut missalibus positae, pro animabus eorum pro quibus sacrificium offerebatur, recitandae [2]. Quae cum ita sint, concludi potest verbis S. Thomae, qui ad praxim Ecclesiae universalis appellans, ita argumentatur [3]: *Si ergo suffragium pro multis factum, valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videretur, quod Ecclesia non debuit instituere, ut pro aliquo fieret singulariter missa vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum.*

Addi potest usus antiquissimus missae sacrificium in quibusdam anniversariis celebrandi, verbi gratia, in die tertia, septima, nona, trigesima, a die obitus; de qua re vestigia habentur penes Tertullianum, S. Ambrosium, S. Augustinum, et maxime S. Gregorium Magnum, in cuius Sacramentario prostat missa unius defuncti, itemque *missa in die depositionis defuncti, sive tertio, septimo, trigesimoque* [4].

6. — Ratio theol. — Etsi sacrificium eucharisticum, tum ratione victimae quae offertur, tum ratione principalis offerentis, qui est Christus Dominus, sit in actu primo infiniti valoris, tamen quia, ut diximus, in actu secundo, applicatio illius fructus pendet a devotione participantium de illo, ideo huiusmodi fructus finita tantummodo ratione nobis actualiter applicatur. Ex quo sponte sequitur, plus iis prodesse, ceteris paribus, oblatum eucharisticum sacrificium, pro quibus applicatur,

1. Cf. MARTÈNE, de Antiquis Eccles. ritibus, l. I, art. IX, § 8; Ord., VI, art. XVII, c. 4, rat. 1, § 6: MABILL., De liturg. Gallicana, Append. V, pp. 463, 465. — 2. Cf. Sacramentarium S. GREGORII MAGNI, Opp., t. III, p, 217, sqq. Ed. Maur. — 3. Suppl., Quaest. LXXI, art. 13. — 4. Utiliter hac super re consuli potest PET. LE BRUN, t. II, Dissert. II, pp. 71, seqq., ed. cit.

quam iis pro quibus non applicatur. Atqui sacerdos est vere minister, sicut in sacramentis conficiendis, ita et in sacrificio offerendo; minister, inquam, sua gaudens libertate, cum ad ministrum pertineat esse instrumentum rationale [1]. Ergo sacerdos potest specialiter fructum sacrificii eucharistici quibus voluerit applicare, illum videlicet fructum qui medius vel etiam specialis vocatur, illumque, cum de se indeterminatus maneat, particulari intentione determinare.

Et ex hoc confirmatur id quod ante dicebamus [2], scilicet, rite posse sacerdotem, pro missa quam applicat, stipendium percipere, non quidem tamquam pretium sacrificii, sed tamquam conditionem, quae ius praebeat offerenti, ut sibi sacrificium revera applicetur.

7. — **Solvitur difficultas.** — Illud sacerdos nequit specialiter determinare, quod a divino beneplacito pendet. Atqui applicatio fructus specialis missae pendet a divino beneplacito. Ergo sacerdos nequit illum fructum alicui personae specialiter applicare.

Resp. *Dist. mai.:* quod absolute pendet a divino beneplacito, *conc.;* quod ita pendet a divino beneplacito, ut illius dispensatio commisa sit sacerdotibus, *nego. Contradist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.* — Ex quo sacerdotem sacrificii ministrum Deus constituit, illum etiam fecit dispensatorem fructus illius sacrificii, iuxta illud S. Pauli [3]: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* unde in hoc quod sacerdos iure suo utitur, ipsum sequitur ordinem a Deo praescriptum, tantum abest ut iniuriam Deo irroget. *Num minister censetur iura principis laedere,* quaerit opportune Perrone [4], *dum favo-*

1. 1, Quaest. CXII, art. 1. — 2. Supra, p. 191. — 3. 1, Cor., IV, 1. — 4. Tr. de Euchar., c. III, in fine.

rem alicui impertitur, si ab ipso principe eum dispensandi prius habuit facultatem?

8. — **Quaestio.** — *Utrum liceat missam offerre iuxta intentionem Beatae Mariae Virginis?*

Resp. Si per hoc quod dicitur *sacerdotem missam offerre iuxta intentionem Beatae Virginis,* intelligatur sacerdotem maternae se Deiparae adsistentiae committere in tremendi sacrificii celebratione, illudque per manus illius offerre, quae Christum in Cruce, humani generis vicem gerens, immensa charitate acta, semel obtulit, nil certe laudabilius praestari potest, cum Beata Virgo rite vocetur nostra ad Deum caelestis mediatrix, cui nihil divina omnipotentia potest denegare. Nec dubitandum, hoc obsequii genus ipsimet Deiparae Virgini pergratum existere, per quod plenissimam erga eam nostri subiectionem testificamur: pertinet vero pia ista praxis ad illam devotionis formam, a Beato Grignion de Montfort propagatam, qua cuncta nostra spiritualia bona, in manibus Deiparae committimus, quatenus ea nobis per illius mediationem derivanda agnoscimus [1].

At vero, si sacerdos speciali officii obligatione, puta stipendii aut fundationis, teneatur pro determinata inten-

1. Cf. Pasqualigo, De Sacrif. novae Legis, I, Quaest. 169. Suarez, de Sacramentis, Disput. XLIII, sect. 6. De hoc argumento plura conscripta sunt in ephemeride, L'Ami du Clergé, 26 Mars, 1908, p. 302; item, 2 juillet, 1908, p. 617. Plura quoque passim invenire est in ephem., Le Règne de Jésus par Marie, et Maria, Regina dei Cuori, a PP. Soc. Mariae editis. De hoc quoque agit Rev. P. H. Noldin, qui cum negasset valere intentionem hoc modo factam, *offero cui Deus applicare voluerit,* concedit tamen illam valere, si hoc modo proponatur: *Applico pro eo, pro quo Deus vult me applicare.* De Euchar., n. 177, 3, b. Oeniponte, 1909, p, 207. At si quis rem bene perpendat, facile deprehendet hanc secundam formulam aequivalere primae. — Obiicienti formulam quae in praeparatione missae solet a sacerdotibus recitari: *Memento... eorum pro quibus scis et vis me debere orare,* respondetur, per id quod dicitur, *me debere,* intentionem sacerdotis satis determinari.

tione missam celebrare, muneri suo certe haudquaquam satisfaceret, si sacrificii applicationem Beatae Virginis arbitrio relinqueret perficiendam, cum ad illummet pertineat intentionem facere, ad quem pertinet ipsum sacrificium offerre, scilicet ad ministrum, at hoc quidem formaliter, ratione officii sui. Similiter, si sacerdos, tali speciali obligatione non ligatus, Beatae Virgini munus relinqueret sacrificium applicandi cui illa vellet, muneri suo etiam tunc minime satisfaceret, cum in omni casu specialis applicandi intentio ad ministrum, ut sic, pertineat.

Nec dicatur: Beatae Virgini determinatam esse voluntatem, eo quod vult certe ut pro eo applicetur, pro quo Deo magis placet, ideoque non deesse personae, cui fructus sacrificii obveniat, determinationem. — Nam Beatae Virginis voluntas quidem perfectissime conformis est divinae voluntati; divina autem voluntas, utpote causa prima, etsi omnia possit per se facere, singulis tamen effectibus causa proprias et proportionatas aptavit, a quibus illos effectus decrevit determinate obventuros. Quapropter, concludendum est quod sic missam applicare ad intentionem Beatae Virginis, idem esset ac illam inapplicatam in generali Ecclesiae thesauro relinquere.

Hoc autem non tollit quominus in manibus Deiparae Dominae nostrae nostras reponamus satisfactiones, quatenus illa de eis, sicut sibi libuerit, disponat, eo fere modo quo de heroico charitatis actu dicitur [1].

1. Vide op. c. Les Indulgences, leur origine, etc., t. II, c. IX, n. 14, p. 268 Paris, Lethielleux. — De hac traditione satisfactionum nostrarum in manibus Deiparae, ait egregie R. P. Ant. Lhoumeau: *Nous remettons donc aux mains de la Sainte Vierge toute la valeur impétratoire et satisfactoire de nos bonnes œuvres* (*et l'on peut y ajouter aussi: le fruit de nos prières*), *afin qu'elle en dispose selon qu'il lui plaira. Loin de nous assurément l'idée d'un caprice en Marie: car sa volonté est toujours unie à celle de son Fils.* La Vie spirituelle à l'école du B. Grignion de Montfort, Paris, 1902, p. 251.

ARTICULUS IV. — *Utrum sacrificium missae offerri possit pro iis qui sunt extra Ecclesiam.*

1. — Praenotanda. — I. Aliquis potest esse extra Ecclesiam totaliter, id est, tum secundum corpus, quia non est baptizatus, tum secundum animam, quia caret gratia sanctificante; vel potest esse extra Ecclesiam partialiter, idest, secundum corpus tantum, vel secundum animam tantum [1]. Sciendum autem haereticos, schismaticos et excommunicatos, eos videlicet qui tales sunt ob gravem culpam, licet ad animam Ecclesiae non pertineant, pertinere tamen ad illius corpus, cum Ecclesiae subiiciantur, licet communium Ecclesiae bonorum participes non sint.

II. Sciendum ulterius, omnes sacrificii eucharistici fructus ab iis solum posse percipi, qui ad animam Ecclesiae pertinent et usu rationis sunt compotes: unde baptizati parvuli, qui nec ullius actualis culpae aut poenae, nec boni motus interni capaces sunt, nequeunt plene fructum missae percipere: siquidem ex hoc sacrificio nec propitiationem pro peccatis, nec satisfactionem pro poenis, nec fervorem devotionis ad gratiam augendam, ex applicatione huius sacrificii pro ipsis facta, impetrare possunt.

III. Denique, aliud est missae sacrificium publice, aliud vero privatim, seu secreta intentione, pro aliquo applicare.

2. — PROP. — Sacrificium eucharisticum potest offerri pro iis etiam qui sunt extra Ecclesiam.

3. — Exponitur per partes. — I. Imprimis, quod pro paganis ac idololatris vivis hoc sacrificium offerri valeat,

1. Hanc distinctionem inter corpus et animam Ecclesiae, etsi veteribus theologis non adeo probatam, eo quod vera Christi Ecclesia visibilis est, in gratiam tamen praesentis disputationis retinendam ducimus

probari potest, imprimis, ex illo S. Pauli [1]: *Obsecro igitur, primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt;* ubi evidenter patet, Apostolum velle ut oretur non pro fidelibus dumtaxat, sed, nemine excepto, etiam pro infidelibus, quales tunc reges erant. Loquitur vero de publicis Ecclesiae precibus, quae tum ad altare per sacerdotes, tum in conventibus Ecclesiae per ministros, simul cum eis orante populo, fiebant, ut post S. Ioannem Chrysostomum [2], S. Augustinum [3], et S. Prosperum [4], loquitur Sylvius [5]. Igitur pro infidelibus offerri potest hoc sacrificium, ut eos Deus misericorditer, ad lumen veritatis et ad gratiam conversionis perducat, per quam valeant et remissionem culpae et adeptionem gratiae et gloriae consequi.

4. — Confirmatur. — In Lege mosaica, sacrificia leguntur oblata pro gentilibus, ut pro Dario [6], pro Spartiatis [7] et pro Heliodoro [8]. Ergo et sacrificium Eucharistiae, quod nobilius est et efficacius, potest pro infidelibus offerri, quatenus impetretur ipsis conversio et omne bonum honestum, eorum saluti utcumque expediens [9]. Unde S. Chrysostomus ait [10]: *In mysteriis communes pro non initiatis preces effundimus;* et Tertullianus [11]: *Sacrificium pro salute imperatoris,* qui tamen infidelis erat. Demum Ecclesia, Feria VI in Parasceve, non diffitetur orare *et pro perfidis iudaeis.* Hoc autem quod hic de paganis dici-

1. 1 Tim., II, 1, 2. — 2. Comment. in h. l. — 3. Epist. LIX. alias CXLIX, ad Paulinum, n. 16 et 17, t. II, col. 509. — 4. L. I de Vocat. Gent., c. 12. Migne P. L. t. 51, col. 664. — 5. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, Quaeritur VIII. — 6. 1 Esdr., VI, 10. — 7. 1 Mac., XII, 11. — 8. 2 Mac., III, 32. — 9. Cf. Resp. S. C. S. Officii, 12 Iul. 1705, apud Card. Gasparri, tract. can. de SS. Euch., Vol. I, p. 343. — 10. Homil. LXXVII in Io. — 11. L. ad Scapulam, cap. 2. Migne t. I. col. 778.

mus, a fortiori dicenda sunt de catechumenis, qui iam recta fide imbuti, baptismum in votis habent.

Huc pertinent verba S. Augustini, ubi Vitalem Carthaginensem, qui ad pelagianismum declinabat, reprehendens, ait [1]: *Exere contra orationes Ecclesiae disputationes tuas, et quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret,... subsanna pias voces.* Et iterum [2]: *Numquid et orare prohibebis Ecclesiam pro infidelibus, ut sint fideles; pro iis qui nolunt credere, ut velint credere?*

Aperta quoque sunt quae scribit S. Caelestinus [3]: *Cum enim sanctarum plebium praesules, mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscent, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut iudaeis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae charitatis accipiant.* Similiter S. Prosper ait [4]: *Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo, non solum pro sanctis et in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus et inimicis Crucis Christi,... pro haereticis et schismaticis* [5]

1. Epist. CVII. alias CCXVII, c. I, n. 2, t. II, col. 799. — 2. Ibid. c. VIII, n. 26 col. 807. — 3. In Epist. ad Episc. Galliae, c. 11 MIGNE, P. L. 50, col. 535. — 4. L. I de Vocat. Gentium, l. c. — 5. *Proposito dubio, utrum liceat sacerdotibus missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro missae applicatione accipere,* S. Congr. Concilii, die 12 Iulii 1865, respondit: *Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse.*

5. — **Solvuntur tacitae difficultates.** — I. Obiicienti S. Thomae verba [1]: *In canone missae non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam:* — responderi potest, primo, pro similibus olim oblatum fuisse sacrificium; et quod Ecclesia non vetet ut id fiat, manifeste ostenditur in oblatione calicis, cum per sacerdotem oret, *ut pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat.* Igitur Angelicus, in loco obiecto, non loquitur de omni effectu qui possit per sacrificium impetrari; sed, ut apparet ex contextu, loquitur de adeptione gratiae et gloriae, necnon de remissione culpae: quem effectum, advertit Sylvius [2], non habet hoc sacrificium, nisi in illis qui ei coniunguntur per fidem et charitatem: quia videlicet *non confert immediate gratiam remissionis peccatorum, sed impetrat poenitentiam, conversionem, etc., per quae habetur illa coniunctio, ac tandem sequitur adeptio gratiae inhabitantis et remissio peccatorum.*

II. Obiicienti ulterius Eucharistiam esse sacramentum unitatis, et ideo pro iis solum offerri debere, qui sunt in unitate corporis Christi, — *respondetur,* inde solum inferri Eucharistiam, ut est sacramentum, ab iis solum sumi debere, qui sunt de unitate Ecclesiae; sed ut est sacrificium, potest offerri non solum pro iis qui Christo sunt uniti per professionem verae fidei et per charitatem, sed etiam pro iis qui a Christo sunt separati, ut eidem citius uniantur.

6. — II. Pro **haereticis** et **schismaticis** adhuc viventibus, offerri posse salvificum hoc sacrificium, ambigendum non est, ut scilicet resipiscant et convertantur, cum S. Paulus, in allato textu, iubeat orationes pro *omnibus* fieri: qua voce non intendit Apostolus tantummodo omnia genera hominum, sed singulos, cum

1. 3, Quaest. LXXIX, art. 7, ad 2m. — 2. Loco cit.

cupiat unumquemque salvum fieri; quo etiam pertinent superius allati textus SS. Caelestini et Prosperi. — In promptu quoque est ratio; nimirum, sicut lex charitatis iubet inimicos diligi, ita etiam pro eisdem orari ut salvi fiant; ideoque Ecclesia, sicut ab haereticis et schismaticis non subtrahit correptionem et praedicationem, quarum effectum expectat et petit a Deo, ita nec eos excludit ab oratione et sacrificii participatione, ut patet ex orationibus quas pro eisdem publice fundit feria VI in Parasceve. Nimirum, si eucharisticum sacrificium *eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute veri illius sacrificii, a quo omnis gratia in nos defluxit* [1].

Est tamen differentia inter haereticos ac schismaticos viventes, et paganos de quibus antea: nimirum, pro his offerri potest missa ad alias intentiones, quam sit eorum conversio, non autem pro illis: Ecclesia enim in poenam haereseos aut schismatis id vetuit; praeterea indifferentismi periculum facile incurreretur, si pro haeretico et schismatico liceret sacrificium huiusmodi ad alias intentiones offerre, quam ad eorum conversionem, quod tamen periculum relate ad paganos abest. Sciendum ulterius Ecclesiam vetuisse, in poenam huiusmodi reatuum, in odium erroris, et ut superbia sic peccantium frangatur, ne publice suffragium eucharisticum pro praedictis fiat.

7. — III. **Pro excommunicatis toleratis vivis** licet etiam missam offerre, scilicet pro eorum conversione: quod inde deduci potest, quod cum Concilium Constantiensi indulsisset ut fideles cum huiusmodi excommunicatis possent, tam in divinis, quam in humanis, communicare, publicas quoque preces pro eisdem offerri concessit [2]. — At idipsum de excommunicatis vitandis dici non potest: nimirum, ait Sylvius [3], si rex vel episcopus

1. 4, Dist. XII, Quaest. II, art. 2, Quaest. II, ad 4m. — 2. Constitut. Martini V, *Ad evitanda scandala*. A. D. 1418. — 3. Loco cit.

esset nominatim denuntiatus excommunicatus, nominandus non esset, neque in Canone, neque in aliis Ecclesiae publicis precibus, ut sic confundantur et confusi corrigantur. Igitur privatim tantum, seu secreta intentione, missa pro ipsis applicari potest, scilicet ad impetrandam eorum conversionem; unde ait Angelicus [1]: *Pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quae pro membris Ecclesiae fiunt* [2].

8. — **Solvuntur difficultates.** — I. Ex his verbis S. Thomae, solvi potest difficultas nata ex eo quod pro excommunicatis, cum sint privati suffragiis Ecclesiae, non videtur licere ut sacrificium vel aliae preces offerantur. — Nimirum, non absolute vetatur ut pro eis preces et sacrificia fundantur, *sed solum sic, ut orando annumerentur membris Ecclesiae, quasi essent ex illis*, ait Sylvius [3]. Potest ergo Ecclesiae minister orare, sive in *Memento*, sive in aliis petitionibus missae, pro excommunicato, non tamen publice illum specificando, seu illum annumerando in membris Ecclesiae.

II. Obiicienti ulterius verba S. Pauli [4]: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia,* — *respondetur,* Apostolum hic loqui de apostatis, quibus non relinquitur hostia, qua, sicut in baptismo, sine difficultate liberentur a peccatis, simul quoad culpam et poenam; vel potest dici illum significare quod peccatores, qui apertam veritatem impugnantes, ex mera malitia peccant, vix unquam ad veram poenitentiam revertuntur.

9. — **Scholion.** — Pro energumenis quoque licet missae sacrificium offerre, maxime cum vexatio illorum

1. 4, Dist. XVIII, Quaest. I, art. 1, ad 1m. — 2. Cf. Card. GASPARRI, tract. can. de SS. Eucharistia, Vol. I, pp. 343, seqq. — 3. Loco cit. — 4. HEBR., X, 26.

non sit culpa, sed poena; unde et communionem ipsis, in periculo mortis constitutis, dandam esse Concilia statuunt [1]. Attamen eorum nomina non esse peculiariter ad altare recitanda, aliquando cautum est [2]: fortassis, ad evitandam eorum infamiam, cum qui a malo spiritu exagitantur, non bene sint sui compotes.

ARTICULUS V. — *Utrum sacrificium eucharisticum offerri possit pro defunctis in purgatorio existentibus.*

1. — Sanctorum communio. — Ex eo quod iis qui pie in Domino defuncti sunt poenae temporales in purgatorio luendae adhuc saepe manent, aliunde vero charitas, quae est vinculum Ecclesiae membrae ad invicem uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam mortuos, qui in Dei gratia decesserunt, complectitur, sequitur, solemne esse in Ecclesia catholica, ut preces ad Deum, pro animabus in purgatorio detentis, fundere possimus, ut illas Deus adiuvet, ac remissionis gratia donet. — Quae cum ita sint, nunc proprie quaeritur, utrum et quo pacto sacrificii eucharistici suffragium eisdem animabus valeat applicari.

2. — PROP. — Christifidelibus qui in Domino defuncti sunt, rite applicari potest missae sacrificium, quod proinde dicendum est propitiatorium, non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis.

Quod hic dicitur, *christifidelibus qui in Domino defuncti sunt,* referendum est non proprie ad Dei acceptationem; quia cum nobis non innotescat quisnam in gratia Dei decesserit, necne, hinc nunquam possemus pro aliquo

1. Cf. Conc. Eliberitan., can. 37. — 2. Ibid., can. 29.

determinato defuncto sacrificium offerre, si id fieri liceret solum relate ad praedestinatos. Sensus ergo est, pro iis posse sacrificium eucharisticum offerri, quos novimus in Ecclesiae communione decessisse, etsi forsan eos impoenitentes viderimus; cum fieri possit ut Deus eis ultimo momento conversionis gratiam sit largitus.

Propositio autem, generalibus terminis concepta, seu pro quanto significat novae Legis sacrificium pro defunctis offerri posse, pertinet ad fidem catholicam, dicente Concilio Tridentino [1]: (Divinum hoc sacrificium, quod in missa peragitur), *non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.* Et rursus [2]: *Si quis dixerit, missae sacrificium... pro vivis et defunctis... offerri* (non) *debere, A. S.* — Denique in eodem Concilio expresse declaratur [3] animas illas *potissimum acceptabili altaris sacrificio iuvari* [4].

3. — Sacra Scriptura. — Huius autem veritatis non obscurum testimonium habetur in eo quod de Iuda Machabaeo narratur [5], qui offerri iussit sacrificium pro peccatis illorum ex suis militibus, qui in bello ceciderant: quod quidem factum a Scriptura commendatur his verbis [6]: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Atqui non potest novae Legis sacrificium cedere, in efficacia, veteri sacrificio: aliunde pro defunctis nequit offerri sacrificium, nisi ad poenarum expiationem obtinendam. Ergo sacrificium eucharisticum propitiatorium est, non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis.

1. Sess. XXII, cap. 2. — 2. Ibid., can. III. — 3. Sess. XXV. decreto de Purgat. — 4. Cf. Cat. Rom., P. II, c. IV, in fine. — 5. 2 Mac., XII, 43. — 6. Ver.. 46.

4. — **Ecclesiae traditio.** — Hanc autem fuisse, inde a priscis temporibus, Ecclesiae catholicae consuetudinem, Patres, tum latini tum graeci, non obscure testantur. Imprimis audiatur Tertullianus, qui scribit [1]: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus* [2]. Idipsum testantur S. Cyprianus [3], necnon plura Concilia, verbi gratia Carthaginense III, Bracarense I, Cabillonense, Wormatiense, etc. [4]. Audiatur quoque S. Cyrillus Hierosolymitanus qui, cum vocasset Eucharistiam hostiam propitiationis [5], mox addit [6]: *Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus; clementem Deum, cum pro illis* (defunctis), *tum pro nobis demereri et propitiare satagentes*, Χριστὸν ἐσφαγιασμένον ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν, ἐξιλεούμενοι ὑπὲρ αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον θεόν. Sed nec silendus S. Augustinus, qui imis cordis gemitibus Deum pro matre defuncta deprecatus, exclamabat [7]: *Quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum Monicae famulae tuae;* qui etiam haec habet [8]: *Non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Pariter S. Ioannes Crysostomus testatur Apostolorum iussu fieri commemorationem mortuorum in venerabili et tremendo mysterio altarium [9]. Huiusmodi autem consuetudinem ab Apostolis ipsis institutam esse, refert S. Ioannes Damascenus [10]: *Mysteriorum conscii.... discipuli Salvatoris, et sacri Apostoli, in tremendis,*

1. L. de Corona. C. 3, Migne, P. L. t. 2, col. 99. — 2. Similia habet in l. Monogam., necnon in l. II, ad Uxorem — 3. Ep. LXVI, n. 2, Migne P. L. col. 399. — 4. Cf. Bellarmin., deEuchar., l. VI, cap. 7. — 5. Catech. mistag. V, n. 8. — 6. Ibid., n. 10. — 7. Confess., l. IX, c. 13, n. 37, t. I, col. 170. — 8. L. de Cura pro mortuis agenda, c. 1, n. 3, t. VI. col. 516-517, Cf. supra, Q. II, art. 3, n. 7, p. 138. — 9. In Philip. Hom. III, n. 4. — 10. De iis qui in fide dormierunt, n. 3. Migne, P. Gr. t. 95, ccl. 250.

intemeratis et vivificis mysteriis, memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt. Οἵ τόν τοῦ κόσμου γύρον ζωγρήσαντες μαθηταὶ τοῦ Σωτῆρος, καὶ θεῖοι ἀπόστολοι, ἐπὶ τῶν φρικτῶν καὶ ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων μνήμην ποιεῖσθαι τῶν πιστῶν κοιμηθέντων ἐθέσπισαν [1].

Horum testimoniorum vim confirmat praxis Ecclesiae, quae iubet ut sacerdos in memento defunctorum ita oret: *Illis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur.*

5. — **Quaestio I.** — *Quomodo possunt animae defunctorum non baptizatorum baptismo aquae, in purgatorio iuvari per sacrificium missae?*

Resp. Cum huiusmodi non sint per baptismum aquae in Ecclesiam visibilem recepti, hinc apti non sunt, qui fructum satisfactorium ex visibilibus mysteriis Ecclesiae, sive haec sint sacramenta pro vivis, sive sint sacrificia pro vivis et defunctis derivatum, immediate percipiant; quapropter nonnisi mediate iuvari possunt per missae sacrificium, quatenus hac oblatione impetretur ut fideles viventes moveantur ad satisfaciendum, per bona opera sua, pro illis defunctis. Hoc sensu etiam permittitur sacrificium offerri pro defunctis catechumenis, iis videlicet qui absque sua culpa sine baptismo decesserunt; unde legimus S. Ambrosium auctorem fuisse ut tale sacrificium offerretur pro anima Valentiniani, qui catechumenus obierat [2]. Idipsum erui potest ex Innocentio III [3], ubi pro praesumpto presbytero qui, etsi non baptizatus, christiano tamen more vixerat et obierat, hostias offerri iussit.

1. Cf. S. Thom., Supplem., Quaest. LXXI, art. 2. — 2. Orat. de obitu Valentin., n. 56, Mediol. 1881, t. V, col. 110-111. — 3. Decret. Greg. L. III, t. 43, de presbyt. non bapt.

6. — Quaestio II. — *Utrum missa applicari possit pro iis qui extra Ecclesiam culpa sua decesserint?*

Resp. Negative; si enim Ecclesia permittit ut pro hominibus in haeresi, schismate vel excommunicatione viventibus, salvificum offeratur sacrificium, hoc ideo est, ut eorum conversio obtineatur, quae tamen ratio non viget pro eisdem mortuis. Revera, vetuit Ecclesia ne missa celebretur pro iis qui in manifesta vel publica haeresi decedunt, etiamsi a solo sacerdote et ab eo qui stipendium dat, applicatio cognosceretur [1]. Aliunde illi qui sic extra Ecclesiam decesserunt, si quidem sint in loco salutis, non penitus excluduntur a benefico influxu sacrificii eucharistici; nam quoties orat Ecclesia et sacrificium offert generali modo pro animabus in purgatorio, illi de hoc fructu, quatenus capaces sunt, secundum mensuram divinae misericordiae, participare possunt. — At cum Ecclesia sit essentialiter societas visibilis, eaque sola vera, extra quam non est salus, nequit eos qui extra suum gremium decesserint participes facere bonorum suorum, videlicet publicarum orationum, sacrificiorum atque solemnium funerum quae ad filios suos pertinent; ideoque nec fundationes missarum pro eis fieri permittit: secus enim in dubium ipsa verteret dogma de sui absoluta et exclusiva veritate, et ostium aperiret indifferentismo religioso [2].

7. — Quaestio III. — *Utrum missa applicari possit pro acatholicis, quos in bona fide obiisse teneri probabiliter potest?*

1 Decret. S. Officii, 7 Apr., 1875. — 2. N. GIHR, Le Saint Sacrifice de la Messe, p. 198. Huc facit quod, proposita sequenti quaestione: *An liceat in die anniversarii obitus principissae, ad protestantium sectam pertinentis, celebrare missam in levamen defunctorum regiae familiae?* S. Rituum Congregatio, sub die 23 Maii, 1859, respondit: *Non licere, et detur exemplum epistolae in forma Brevis, die 9 Iulii 1842, s. m. Gregorii XVI.*

Resp. Affirmative, dummodo id occulte fiat, et citra scandali periculum: quo casu abstinendum sacerdoti erit a speciali oratione liturgica pro illo defuncto recitanda, quae in die obitus, septimi, trigesimi, vel anniversarii ponitur. Tutius tamen et ipsorum acatholicorum, et catholicorum sentiendi modo consulitur, cum sacerdos se profiteatur sacrum pro defunctis quidem in genere applicare, cum speciali tamen intentione defuncto illi, quatenus Deo acceptum sit, subveniendi. Idipsum dicendum et de fidelibus qui in actu peccati decesserint, ut sunt ebrii, suicidae, duellantes, etc.; necnon de excommunicatis, qui ante mortem poenitentiae signa dederint; pro quibus utique occulte applicari poterit sacrificium, praevia absolutione ab excommunicatione; quod si tamen tolerati fuerint, praeviis supra positis conditionibus, publice etiam missae sacrificium pro eis offerre licebit [1].

8. — **Scholion I.** — Perperam igitur censeret quis, christianum hominem, qui forsan excommunicationis vinculo irretitus, in gratia tamen Dei decesserit, huius sacrificii beneficio privari. Excommunicatio enim, ut censura est, supponit peccatum mortale: aliunde post hanc vitam anima non amplius subditur iurisdictioni Ecclesiae. — Nec obstat quod legitur apud S. Gregorium Magnum [2], de duabus sanctimonialibus, quibus ob linguae incontinentiam, S. Benedictus excommunicationis sententiam minando intulerat, et quae mox defunctae ac in ecclesia sepultae, cum ibi missarum solemnia celebrarentur, atque diaconus ex more clamaret: *Si quis non communicat, det locum*, visae sunt de sepulcris suis progredi, et exire de Ecclesia, donec vir Dei, manu sua protinus oblationem dedit; tunc quippe ulterius illae exire ab Ecclesia visae non sunt. Nimirum hoc factum Deus permittere

1. Circa casus particulares occurrentes, consulat prudens sacerdos probatos theologiae moralis auctores. — 2. Dialog., l. II, c. 23.

potuit, ut sub hac figura daretur intelligi, quantum sibi displiceant peccata linguae [1].

9. — Scholion II. — Porro, quidquid dicatur de suffragiis pro animabus in purgatorio detentis, numquam licet venerandum hoc sacrificium pro damnatis offerre, ut ex eo patet, quod in inferno nulla est redemptio, nulla scilicet, vel culpae, vel poenae remissio. Unde S. Gregorius Magnus ait [2]: *Eadem causa est cur non oretur tunc,* scilicet post diem iudicii, *pro hominibus aeterno igne damnatis, quae nunc etiam causa est, ut non orent pro diabolo angelisque eius aeterno supplicio deputatis: quae etiam nunc causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, qui de eis utique quos aeterno damnatos supplicio iam noverunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suae meritum cassari refugiunt.* Idipsum vero dicendum est de parvulis sine baptismo mortuis, cum immutabili Dei sententia omni bonorum, quae Christi gratia nobis peperit, participatione priventur; unde cum haereticus dixisset pro huiusmodi offerenda iugiter sacrificia, contra, S. Augustinus argumentatur [3], pro nullis defunctis ea esse offerenda, nisi qui decesserint ut membra Christi, per charitatem ei coniuncta; neque enim alioqui per ullum sacrificium futuri sunt membra Christi.

10. — Solvitur tacita difficultas. — Nec obstat quod S. Augustinus dicat [4], per sacrificia damnationem quibusdam fieri tolerabiliorem: ibi enim, per damnationem, intelligit non afflictionem et supplicium eorum qui sunt in

1. Ceterum, illa sancti viri excommunicatio potius quam censura canonica, dici potest fuisse genus quoddam maledictionis, licet videatur S. Gregorius, qui id refert, illi excommunicationi vim tribuisse canonicae censurae, ut liquet ex diaconi monitione. — 2. L. XXXIV Moral., c. 16. Venetiis, 1571, t. 1, p. 862. — 3. L. I de anima et eius origine, c. 9. t. X, col. 342. — 4. Enchirid., c. CX, t. VI, col. 238.

inferno ad poenas aeternas damnati, sed in purgatorio ad poenas temporales [1]. Et si alicubi videtur S. Doctor [2] praefatam permittere opinionem (*si hoc eis placet*), illam tamen alibi penitus reiicit. *Alicuius mitigari eam, cui est traditus, poenam,* ait [3], *vel quibusdam intervallis habere aliquam pausam, quis audacter dixerit; quandoquidem unam stillam dives ille non meruit.* Aliunde, quod in opere *de Civitate Dei* de mitioribus ac levioribus poenis edisserit, referendum est non ad aliquam poenarum inferni mitigationem, sed ad hoc quod minorem Deus, quam culpa exigeretur, poenam eis infligit: *Sed quibus placet istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut....* (Deus) *faciat eos non tanta quanta digni sunt poenarum atrocitate cruciari; non ut eas poenas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant; sed ut eas mitiores quam merita sunt eorum, levioresque patiantur* [4].

Hunc locum explicans Angelicus [5], primo quidem illum ad Dei misericordiam in vita praesenti refert; tum subiungit, quod si extendatur ad damnatos, *intelligitur de misericordia aliquid relaxante;* et quod *ipsa poena durante, misericordia operabitur, eam diminuendo.* At alibi expresse dicit [6], tutius esse simpliciter dicere quod suffragia *non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit;* unde opposita sententia, iuxta S. Doctorem dicenda est *praesumptuosa, utpote Sanctorum dictis contraria, et vana, nulla auctoritate fulta, et est irrationalis, tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis, tum quia totaliter ad viae terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem.*

1. Cf. quae de hac re scripsimus in tr. DE NOVISSIMIS. — 2. Enchirid., c. CXII, col. 239. — 3. Enarr. in Ps. CV, n. 2. t. IV, col. 1192. — 4. L. XXI de Civ. Dei, c. 24. n. 3, t. VII, col. 643. — 5, Supplem. Quaest. XCIX, art. 3, ad 4m. — 6. 4, Dist. XLV, Quaest. II, art. 2.

Mitigatio poenae damnatorum, ait S. Bonaventura [1], *dupliciter potest intelligi: aut quantum ad taxationem et inflictionem poenae, et sic absque dubio est ibi mitigatio, quia divina iustitia non totum exigit, pro eo quod, eius pietate interveniente, aliquam partem poenae infligendo remittit. Alio modo potest intelligi mitigatio post poenae taxationem et inflictionem, et hoc modo nulla cadit mitigatio a divina misericordia, quia ex tunc claudit eis Dominus viscera pietatis.*

11. — Quaestio IV. — *Quomodo intelligi debent verba posita in Offertorio Missae defunctorum:* LIBERA ANIMAS... DE POENIS INFERNI, ET DE PROFUNDO LACU, *etc.*

Resp. Imprimis, excludi debet explicatio Medinae [2], dicentis orationes Ecclesiae haud ita subtiliter esse examinandas, et in quibusdam multa minus vera in eis tolerari, eo quod pietatem foveant: nam absit Ecclesiam, quae est columna et firmamentum veritatis, putari posse aliquid per errorem deceptam publice cantandum aut orandum proponere. Igitur alii censent preces has antiquitus legi consuevisse cum aegrotus in eo esset, ut iamiam emitteret animam, easque postea Ecclesiam in funeribus defunctorum adhibere coepisse, retrotrahendo preces ad punctum illud temporis, quo animae e corporibus sunt egressae, eo modo quo Adventus tempore cantat: *Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant iustum.*

Aliis autem probabilior videtur sententia, quae preces istas de poenis purgatorii intelligit [3]: nimirum eatenus purgatorium dicitur infernus, quatenus idem utrobique est

1. 4, Dist. XLVI, art. 1, q. 2, t. IV, p. 959. — 2. De oratione, c. 6 apud BENED. XIV, de Sacr. Missae Sacrif., l. II, c. IX, n. 5. — 3. BENED. XIV, l. cit., n. 6. Claudit doctissimus Pontifex dissertatiunculam hanc verbis sequentibus (n. 7): *Quidam theologus Ordinis Servorum B. Mariae, a. 1573, parvum quemdam tractatum edidit, de statu animae cum charitate decedentis, illudque offertorium in Missa dèfunctorum explicat, atque in eo abunde probat ea verba de purgatorio esse intelligenda.*

ignis; unde orare ut animae liberentur *de profundo lacu, de ore leonis*, idem est ac deprecari ut de subterraneo illo carcere, ubi poenas acerbissimas luunt, solvantur. — Nobis videtur utramque simul posse sententiam componi: et quidem, quantum ad aliquid preces huiusmodi ad animas in purgatorio detentas referri; quantum ad aliquid vero in eis respectum haberi ad viventes, cum in sua liturgia Ecclesia, dum pro defunctis orat, non tamen praetermittit viventium aedificationem. Igitur dici potest verba illa, quae ad animas in purgatorio positas aegre referuntur, eatenus recitari, quatenus et viventibus gratiam Ecclesia postulat bene moriendi, et Deo gratias refert pro felici exitu eorum qui in Dei amore decesserint[1].

ARTICULUS VI. — *Utrum sacrificium eucharisticum offerri possit pro Sanctis in caelo regnantibus.*

1. — Ratio articuli. — Solemnis est, ac longo saeculorum usu consecratus mos in Ecclesia, ut sacrificium eucharisticum, quod per se et principaliter est institutum ad honorandum Deum, eiusque supremum dominium agnoscendum, offeratur etiam, non quidem Sanctis, ut protestantes nobis calumniantur, sed in eorum memoriam, ut videlicet Deo per illos debitum honorem ac venerationem referamus. In quo quidem, si rite res consideretur,

1. Cf. NIC. GIHR, Vol. II, pag. 203, seqq. Cavendum est ne dicatur eatenus ab Ecclesia orationes illas fundi, quatenus Deus, in praevisione huiusmodi orationum, gratiam bene moriendi eis contulerit, pro quibus sciebat illas preces esse offerendas. Cavere etiam theologum oportet, ne si quando in aliquo veteri missali oratio inveniatur, *ut tolerabilia damnatorum tormenta fiant*, inde inferat Ecclesiae mentem fuisse, per hoc sacrosanctum sacrificium, damnatorum animas sublevari prout non ita pridem fecit ST GEORGE MIVART, in art. Happiness in Hell (Th. XIX[th] Century, n. 190. Dec. 1892, p. 906): huiusmodi enim particularis cuiusdam ecclesiae missalia liturgico et dogmatico valore carent. Cf. tr. DE GRATIA. Quaest. CXIV, art. 9, p. 440.

apparebit, ex quadruplici fine sacrificio inhaerente, duos plene verificari in relatione ad Sanctos : nimirum in quantum est latreuticum et eucharisticum. Nam Deus in Sanctis, quorum nomina sacrificio eucharistico sociata recitantur, modo speciali honoratur; rursusque ei, per hoc excellentissimum medium, gratias rependimus, pro beneficiis quibus servos suos cumulavit. Rursus, cum Sancti in caelo perfectissime sint ab omni peccato purgati, evidens est finem illum, ad propitiationem pertinentem, in eorum respectu locum habere non posse. — Igitur tota dubitatio est de vi impetratoria, sacrificio adnexa; dubitatur nempe, utrum hoc sacrificium, in honorem Sanctorum oblatum, ordinari possit ad aliquid pro ipsismet impetrandum. Pro quo, sit

2. — PROP. — **Sacrificium eucharisticum, quatenus est impetratorium, pro Sanctis non est offerendum.**

Doctrina Ecclesiae. — Imprimis, recitanda est Ecclesiae doctrina hac super re, quae ita habetur in Concilio Tridentino expressa[1] : *Quamvis in honorem et memoriam Sanctorum, nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed soli Deo,... de illorum victoriis gratias agens* (sacerdos) *eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam facimus in terris.* Et rursus[2]: *Si quis dixerit, imposturam esse missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, A. S.*

3. — **Probatur.** — Licet sacrificium rite offeramus in honorem Sanctorum, ut gratias Deo agamus pro victoriis quas eius gratia reportarunt, tamen, quemadmodum pro Beatis proprie non oramus, ita nec sacrificium, ut impe-

1. Sess. XXII, cap. 3. — 2. Can. V.

tratorium est, pro eisdem offerimus, dicente S. Augustino [1]: *Iniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari;* et idipsum dicatur de quocumque Sancto. Unde et idem S. Pater haec alia habet [2]: *Ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis;* et ratio est, quod orationibus nostris non indigent; cum enim sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt, ait Innocentius III [3].

4. — Solvitur difficultas. — S. Cyprianus, loquens de martyrio coronatis, ait [4]: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.*

Resp. Hanc locutionem, *pro martyribus offerre sacrificium,* S. Cyprianus adhibet ad significandum, *pro illis commemorandis,* ut tunc Deum pro nobis ipsis deprecemur. *Dies eorum,* ait ille [5], *quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Quo sensu etiam loquitur S. Cyrillus Hierosolymitanus [6], cum ait nos Sanctorum commemorationes facere, *ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras.*

5. — Scholion. — Ex dictis deduci potest, quo pacto intelligi debeat id quod interdum dicitur, divinum scilicet sacrificium pro Sanctis Deo offerri. Id nimirum ideo fit, primo, ut debitae Deo laudes et gratiarum actiones reddantur pro donis gratiae et gloriae, quibus illos cumulavit; secundo, ut Sancti ipsi ex huius sacrificii celebratione, quod inter pietatis opera praecellentissimum est,

1. Sermo CLIX, c. 1, alias XVII de verbis Apostoli, t. V, col. 765. — 2. Tract. LXXXIV in Io., n. 1, t. 3, part. 2, col. 709. — 3. Cap. *Cum Marthae*, Decret. L. III, tit. XLI, c. VI. — 4. Epist. XXXIV n. 5, Migne, Patr. Lat., l. 4, col. 323. — 5. Epist. XXXVII, n. 2, ibid., col. 528. — 6. Catech. XXIII, mystagog. V, n. 9. Venet. 1763.

gaudium, utique accidentale, percipiant, cum nihil ipsis magis cordi sit, quam ut videant Deum competenter laudari et glorificari; tertio, ut aliud gaudii motivum habeant, ex hoc quod suasmet virtutes, suasque victorias videant ab hominibus debita laude coronari: quid enim honorabilius fingi potest, quam ut nominentur dum ineffabilia mysteria, Deo praesente, celebrantur? quarto, ut ipsos Sanctos efficacius inducamus ad orandum pro nobis, nosmet vero ad imitationem virtutum quas illi exercuerunt excitemus; quinto, ut Deum nobis, interpositis Sanctorum meritis, magis propitium reddamus; sexto, ut celebremus magnam sacrificii eucharistici efficaciam, cum renovata in Sanctorum memoriam eiusdem sacrificii celebratione, quodammodo testificemur, eius efficaciae adscribi debere solemnem victoriam quam de mundo, carne et diabolo illi reportaverunt.

Pro parvulis etiam post baptismum, ante adeptum rationis usum defunctis, licet venerandum hoc sacrificium offerre, non quatenus impetratorium aut propitiatorium est: ipsi enim nec adiumento salutis indigent, nec quidquam habent quod expietur; sed quatenus latreuticam ac eucharisticam vim habet, ut nimirum in eis debitae Deo laudes reddantur, atque gratiarum ei actiones referantur, quod eisdem victoriae palmam, ex infinita sua bonitate, concesserit.

6. — Quaestio. — *Utrum sacrificium eucharisticum cedat Sanctis in augmentum honoris?*

Resp. Affirmative; sic enim Ecclesia Deum orat, ut sacrificium illud *Sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem*[1]; aut precatur, *ut per haec piae placationis officia, et illum* (Sanctum) *beata retributio comitetur, et nobis gratiae tuae dona conciliet*[2]. Nimirum,

1. In Ordin. Missae, post offert. — 2. In Orat. secretali, in Comm. Conf. Pontif., 2a Missa.

cum Sancti sint perfecte beati, hinc nequit aliquid a Deo pro illis peti, quo eorum intrinseca beatitudo, sive essentialis, sive etiam accidentalis, qualis consurgit, verbi gratia, ex novis revelationibus, augeatur; nam augmentum huiusmodi accidentalis beatitudinis provenit ipsis ex radice beatitudinis essentialis quam habent. Igitur petere possumus augmentum externae gloriae in Sanctis, hoc pacto, ut magis magisque honorentur atque glorificentur. At, ut apposite observat Sylvius [1], tali oratione non tam proprie oramus pro illis, quam pro nobis et aliis hic degentibus, ut illi nobiscum Sanctos honorent, et ex huiusmodi cultus augmento nova nobis salutis beneficia proveniant; sicut quando dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, non oramus ut aliquid Deo impetremus, sed gratiam rogamus, qua Deum honoremus et sanctum nos ipsi habeamus, ad maiorem animarum nostrarum in Dei servitio profectum [2].

1. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 1, Quaer. XI. — 2. Cf. Cat. Rom. P. II, c. IV, in fine. Quomodo missae sacrificium in aeternum perdurare intelligatur, explicat I. M. Buathier (Il sacrificio nel dogma catt. e nella vita crist., versione di B. Neri, Torino, 1895, pp. 119, seqq.): *In cielo non v'è un sacrifizio nuovo. Non v'è neppure un sacrificio propriamente detto, come sulla croce e come sull'altare ; poichè il tempo de' sacrifizi è terminato. Che v'è dunque? Ci sono tre cose: 1. l'eterna présenza davanti a Dio della vittima altra volta immolata, 2. l'eterna rappresentazione del sacrifizio cruento, e 3. la sua eterna efficacia. — In cielo Gesù Cristo porta sempre le gloriose cicatrici delle ferite ricevute per noi... Alla presenza di Dio e degli eletti, con le impronte autentiche della giusizia del Padre suo e de' suoi proprii patimenti, Gesù Cristo rappresenta veramente il suo sacrifizio... Infine, egli ne rende eterni gli effetti. In cielo, come sulla croce e come sull'altare, egli adora, ringrazia, domanda.*

QUAESTIO QUINTA

DE RITU SACRIFICII EUCHARISTICI


(3, LXXXIII, 2-6).

PROLOGUS

1. — Ratio huius quaestionis. — Ultimam quaestionem, in qua ratio redditur de regulis atque praescriptionibus ab Ecclesia statutis, ut tanti sacrificii celebratio rite ordinetur, exordiri possumus opportunis verbis Catechismi Romani [1]: *Habet autem hoc sacrificium multos, eosque maxime insignes ac sotemnes ritus, quorum nullus supervacaneus aut inanis existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii maiestas magis eluceat, et salutaribus mysteriis intuendis, ad rerum divinarum, quae in eo sacrificio occultae sunt, contemplationem fideles excitentur. Sed de his nihil est ut plura dicamus; tum quia hoc argumentum longiorem explicationem postulare videtur, quam propositae institutioni conveniat, tum quia innumerabiles paene libellos et commentarios, qui de hac re a piis et doctissimis viris conscripti sunt, sacerdotes in promptu habebunt* [2].

1. P. II, c. IV, n. 81. — 2. Multi sunt iique egregie conscripti libri, quibus sacrosancti missae sacrificii ritus atque caeremoniae exponuntur, quos quidem sacerdos quilibet ad manum facile potest habere, ad sui et ad ovium sibi creditarum aedificationem. Ex quibus eos potissime seliget, in quibus non nuda aut frigida tantum rituum dilucidatio intenditur, sed ad pietatem quoque fovendam, suam auctor ex proposito confert operam, prout faciunt, praeter auctores passim recensitos, Dionysius Cartusianus, De expositione Missae; de Sacramento altaris et missae celebratione, Dialogus; Petrus Lebrun, sac. ex Orat., Spiegazione letterale, storica e dogmatica delle preci e delle cerimonie della messa, trad. in

2. — **Ordo quaestionis.** — Igitur, praetermissis iis de quibus nostrum non est agere, in particulari sequentia, duce Angelico Doctore, ordinatim expendemus. Nimirum, in celebratione huius sacramenti, primo ritus erit considerandus generaliter (1-7), et secundo, specialiter quantum ad missas quae privatae appellantur (8). Generaliter autem consideratus, praedictus ritus respicit, primo, circumstantias temporis (1), loci (2), et habitus (3), secundo ordinem tum dicendorum (4-5), tum observandarum caerimoniarum, et quidem, tum quantum ad ea quae facienda sunt (6), tum quantum ad ea quae sunt vitanda (7). Ordo autem dicendorum respicit tum substantiam ipsam orationum (4), tum linguam qua orationes illae proferuntur (5).



it. da D. Antonmaria Donado, C. R., Verona, 1735, t. I; P. MARTIN COCHEM, Capucc., Spiegazione del santo Sacrificio della Messa, Firenze, 1909, etc. Ceterum, qui in hoc dogmatico tractatu probe eruditus fuerit, apis argumentosae instar, optimos hac super re libros, a minus sanis, quos recens forsan peperit aetas, discernere per se sciet.

Igitur, octo in hac quaestione investigabuntur.

Primo. De tempore celebrationis sacrificii eucharistici.

Secundo. De loco et aliis quae pertinent ad apparatum huius celebrationis.

Tertio. De vestibus quas sacerdos in sacro faciendo debet induere.

Quarto. De his quae in celebratione huius mysterii dicuntur.

Quinto. Utrum missa debeat celebrari lingua vulgari.

Sexto. De his quae circa celebrationem huius sacrificii fiunt.

Septimo. De defectibus quibus occurri debeat in celebratione huius mysterii.

Octavo. Utrum missae, quae privatae dicuntur, licite celebrentur.

ARTICULUS I. — *Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis huius sacrificii.*

1. — **Ratio articuli.** — In proposita quaestione triplex dubium clauditur: primum, circa frequentiam celebrationis ex parte uniuscuiusque sacerdotis; secundum, circa frequentiam celebrationis in communi; tertium, circa horam diei qua hoc sacrificium celebrari debeat. — Porro, primo dubio iam ante satisfecimus, cum diximus [1], sacerdoti, etiam curam animarum non habenti, non omnino licere a celebratione cessare; sed illum lege divina teneri ad celebrandum saltem in diebus dominicis et praecipuis festis [2]. — Igitur non remanet nisi ut dicamus quali frequentia commemorari debeat hoc mysterium in Ecclesia, et quanam diei parte debeat celebrari.

1. Tr. DE SS.MA EUCHARISTIA, Quaest. LXXXII, art. 6, p. 540. — 2. Cf. Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 14.

2. — Duo in celebratione huius sacrificii attendenda. — Porro, ad huius duplicis dubii solutionem, necesse est considerare quod sacrificium missae ad duo est institutum: videlicet, primo, ut per ipsum repraesentetur dominica passio; secundo, ut fideles huius passionis fructum percipiant. Repraesentatio autem dominicae passionis iterum potest dupliciter fieri: uno modo, in quantum formaliter ordinatur ad commemorandum illas poenas quas Dominus noster in se pertulit; alio modo, in quantum adnexos habet illos fructus quos Christus patiendo nobis promeruit.

3. — Repraesentatio passionis Christi in seipsa fit semel in anno. — Igitur, repraesentatio passionis Christi, primo modo intellecta, rite solet fieri semel tantum in anno, illa videlicet die recurrente, qua Christus revera mortuus est. De qua repraesentatione ait S. Augustinus [1]: *Quoties pascha celebratur, numquid toties Christus moritur? Sed tamen anniversaria recordatio quasi repraesentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri, tamquam videamus in Cruce pendentem Dominum.* — Quae cum ita sint, sermo nunc est proprie, de repraesentatione passionis Christi, qualis fit in missa ad applicandos Christifidelibus fructus eiusdem passionis. Pro quo, sit

4. — PROP. — **Convenienter missae sacrificium quotidie celebratur in Ecclesia.**

Prob. — Conveniens est ut quotidie celebretur in Ecclesia ritus ille per quem recolitur Christi passio, secundum quod eius effectus ad fideles derivantur. Atqui missae sacrificium est ritus per quem recolitur passio Christi, secundum quod illius effectus ad fideles derivantur. Ergo convenienter missae sacrificium quotidie celebratur in

1. Sup. Ps. XXI, in praefat. ad enarrat. 2m eiusdem ps. t. IV, col. 93.

Ecclesia. — *Maior* patet ex eo quod fructu dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus; unde et Dominus nos petere docet[1]: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* quod exponens S. Augustinus dicit[2]: *Intelligitur etiam hoc valde bene,* PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE, *Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, et bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium*[3].

5. — Ecclesia numquam frustrata est beneficio huius sacrificii. — Quod hucusque diximus, respicit Ecclesiam universalem, quam credere possumus numquam, ne uno quidem die, alicubi salvifico caruisse sacrificio, si excipiatur dies illa, in qua passio Domini realiter gesta anniversaria celebritate ubique terrarum recolitur, id est feria sexta in Parasceve; in qua tamen die, ne Ecclesia sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito permaneat, corpus Christi pridie consecratum sumitur a sacerdote; non autem sanguis, propter periculum, et quia sanguis specialius est imago dominicae passionis. — Equidem particula hostiae consecratae mittitur tunc in calicem; attamen verum non est, quod quidam dicunt, per immissionem particulae corporis Christi in vinum, converti vinum in sanguinem: hoc enim aliter fieri non potest, quam per consecrationem sub debita forma verborum[4].

6. — Unusquisque sacerdos laudabiliter quotidie celebrat. — Quod vero attinet ad singulos sacer-

1. Luc., XI, 3. — 2. In homil. *Symbolum reddidistis*, Sermo LVIII, n. 5, t. V, col. 339; cf. De Serm. Dom. in monte, l. II, c. 7, t. 3, part. 2, col. 210. — 3. 3, Quaest. LXXXIII, art. 2. — 4. Ad 2m. Potest tamen dici nullam omnino praeterire diem, qua missae sacrificium non offeratur, cum ob terrae revolutionem, dum parasceves dies in occidentali haemisphaerio recolitur, iam in orientali sabatum sanctum celebratur.

dotes, licet hi nulla divina vel ecclesiastica lege per se teneantur quotidie celebrare [1], id tamen laudabiliter omnino praestant. In quo quidem quaedam diversitas invenitur, secundum temporum diversitatem. Nam antiquitus quidem pluribus in locis sacerdotes quotidie celebrare consueverunt, ut docemur ex historia passionis S. Andreae, qui legitur dixisse [2]: *Ego omni die offero... immaculatum agnum*; similiter ex S. Cypriano qui scribit [3]: *Ut sacerdotes Dei, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo et victimas praeparemus.* Pariter S. Augustinus, cum commemorasset loca in quibus dominico tantum die sacrificium offerebatur, addit [4]: *Alibi nullus dies praetermittitur, quo non offeratur;* et [5]: *Nonne quotidie nobis Christus immolatur?* Similiter S. Gregorius Magnus ait [6]: *Debemus... quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius et sanguinis hostias immolare;* qui refert [7] quod Cassio Narniensi episcopo, quotidianas Deo hostias offerenti, divinitus dictum est: *Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua.*

Porro, laudabilis haec consuetudo quotidie celebrandi, cum media aetate obsolevisset, ultimis temporibus adeo convaluit, ut vix sacerdotem reperire sit, qui de salutis hostia, pro se et mundi salute, quotidie mactanda, sollicitus non sit. Huc facit quod de quotidiana communione superius scripsimus [8], praecipue cum munus sacrificandi non sit privatum, sed publicum, nec soli sacrificanti prosit sacrificium, sed toti Ecclesiae. *Sacerdos non legitime*

1. Dicimus *per se:* nam potest esse quod sacerdos ob aliquam causam, verbi gratia, ratione beneficii, ad quotidie celebrandum teneatur. — 2. Vide supra, Quaest. II, art. 2, n. 11, p. 66. — 3. Ep. LVII, p. 253, Oxonii 1700, alias LIV. — 4. Epistola LIV, n. 2, alias CXVIII. — 5. Enarrat. in Ps. LXXV, n. 15, t. IV, col. 801. — 6. Dialog. l. IV, cap. LVIII. Opp., Paris, 1705, t. II, col. 472. — 7. Ibid., cap. LVI, col. 468. — 8. Tr. de SS.ma Eucharistia, Quaest. LXXX, art. 9, p. 476.

impeditus celebrare omittens, ait Ven. Beda [1], *quantum in eo est, privat sanctam Trinitatem laude et gloria, angelos laetitia, peccatores venia, iustos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, et seipsum medicina et remedio.*

7. — Sacerdos semel tantum in die celebrare potest. — At etsi laudabilis omnino ac magnopere commendanda sit praxis quotidianae celebrationis, ex altera tamen parte sacerdotem convenit ad Ecclesiae praescriptum attendere, vetantis ne pluries in die celebret. Continetur vero praescriptum Ecclesiae sequentibus verbis [2]: *Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit; et valde felix est, qui unam digne celebrare potest.* Et rursus [3]: *Excepto die nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in diem unam missam solummodo celebrare* [4]*:* necessitas autem, de qua fit hic mentio, Ecclesiae praescripto regulanda est [5].

8. — Cur sacerdos in nativitate Domini tres missas celebret. — Quare autem mos invaluerit ut sacerdos, in die nativitatis Domini, tres missas celebret, egregie exponit Angelicus Doctor: nimirum, hoc est propter triplicem Christi nativitatem recolendam. Quarum una est aeterna, quae, quantum ad nos, est occulta, et ideo una missa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus est tu; ego hodie genui te;* alia autem est temporalis, sed spiritualis, quia scilicet Christus oritur, tamquam lucifer in cordibus nostris [6], et propter hoc cantatur missa in aurora, in cuius introitu

1. Citatus a GABRIELE, lect. 87 in Canonem. — 2. De Consecrat., Dist. I, cap. 53. — 3. Extra. de Celebr. missae, cap. *Consuluisti*. — 4. Ad 2um. — 5. In theologia morali accurate statuitur, quandonam et sub quibus conditionibus, liceat sacerdoti duas in die missas celebrare. — 6. 2 Pet., I, 19.

dicitur: *Lux fulgebit hodie super nos;* tertia est Christi nativitas temporalis et corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali, carne indutus et ob hoc cantatur tertia missa in clara luce in cuius introitu dicitur: *Puer natus est nobis:* licet e converso possit dici quod nativitas aeterna secundum se est in plena luce; et ob hoc in Evangelio tertiae missae fit mentio de nativitate aeterna. Secundum autem nativitatem corporalem, ad litteram natus est de nocte, in signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostrae; unde et in missa nocturna dicitur Evangelium de corporali Christi nativitate [1]. — Quae omnia antiquis hisce versibus significata continentur:

Tres in Natali debent missae celebrari:
Quarum prima sacram Christi signat genituram;
Altera venturi designat gaudia Christi;
Tertia iam factum quod lex fore sacra figurat [2].

9. — Quanam diei parte sit sacrificium eucharisticum celebrandum. — Quod autem attinet ad partem diei, qua sacrificium eucharisticum celebrari debet, primo, advertendum est, cum S. Thoma [3], quod regulariter loquendo, missa celebrari debet in die et non in nocte, quia ipsemet Christus est praesens in hoc sacramento, qui dicit [4]: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari: quamdiu in mundo sum, lux sum mundi;* ita tamen, quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu solis, idest quando substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora: tum enim quodammodo dicitur sol ortus, in quantum claritas radiorum eius apparet; unde et dicitur, quod *mulieres ve-*

1. 3, Quaest. LXXXIII, art. 2, ad 2m, ad litt. — 2. De Cel. Miss. l. III, tit. XLI, cap. III. *Consuluisti.* — 3. Ad 4m. — 4. Io., IX, 4.

nerunt ad monumentum, orto iam sole[1], cum tamen venerint, *cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum*[2].

Nec tamen qualibet diei parte celebrari licet hoc sacrificium; sed sunt tempora ab Ecclesia statuta, tum quoad missam privatam, tum quoad missam communitatis. Et quidem, quoad missam privatam, secundum praesentem et generalem disciplinam, citra dispensationem aut necessitatem[3], missa dici nequit sive ante auroram, sive post meridiem: ante auroram enim homines communiter non sunt satis dispositi ad devote percipiendum fructum divinorum mysteriorum; post meridiem vero gravius foret pro sacerdote celebrante ieiunium et mentis recollectio difficilior. Quoad missam vero communitatis, valent ea quae habet S. Doctor[4], illam scilicet celebrari, diebus festis in tertia, quando Christus crucifixus est linguis iudaeorum[5], et quando Spiritus Sanctus descendit super discipulos; diebus vero profestis in sexta, quando crucifixus est manibus militum[6]; denique diebus ieiuniorum in nona, quando voce magna clamans, emisit spiritum[7].

10. — Scholion. — Specialiter tamen missa celebratur, in nocte natalis Domini, propter hoc quod Dominus in nocte natus est; similiter etiam in Sabbato sancto, celebratur circa noctis principium, propter hoc quod Dominus nocte resurrexit, id est, cum adhuc tenebrae essent, ante manifestum ortum solis[8]. — De cetero, semper observanda est consuetudo Ecclesiae, secundum Canonum statuta: quandoquidem, a Spiritu Sancto edocta, ea semper ordinare novit, quae magis ad Dei laudem ac animarum salutem pertinent.

1. Marc., XVI, 1. — 2. Io., XX, 1. S. Thomas, ad litt., loco cit. — 3. Vide casus apud moralistas et iuris canonici doctores. — 4. Ad 3m. — 5. Marc., XV. — 6. Io., XIX. — 7. Matth., XXVII. — 8. Ad 4m. Antiqua haec consuetudo, quae in Ecclesia latina iamdudum sublata est, in Ecclesiis orientalibus adhuc observatur.

Articulus II. — *Utrum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo et vasis sacris.*

1. — Ratio articuli. — Per domum et vasa sacra, hic quatuor intelliguntur, quae ad sanctissimam Eucharistiam conficiendam, iuxta ritum Ecclesiae, immediate adhibentur: nempe, domus ipsa, seu aedes sacrae, altare, calix et corporale, de quibus duplex dubium exurgit: primum, de natura et necessitate talium rerum; secundum, de consecratione qua indigent, ut in ipsis incruentum sacrificium rite conficiatur.

2. — Nomina quibus aedes sacrae designantur. — Ubi primo notandum se offert, aedes sacras pluribus interdum nominibus designari, secundum quod unus vel alius, ex finibus ob quos eriguntur, attenditur: nimirum, vocantur *oratoria,* quatenus ordinantur ad preces in eis fundendas; *templa,* ratione sacrificii quod ibi peragitur; *basilicae* vel *martyria,* quatenus deputantur martyrum reliquiis honorifice asservandis; *ecclesiae,* quatenus in illis populus adunatur ad verbum Dei audiendum et ad sacramentorum receptionem. Solemne quoque fuit, antiquitus aedes sacras *titulorum* nomine designari, quo nomine loca significata sunt, in quibus distinctae gregis Christi portiones, quibus serius paroeciae constitutae sunt, convenire solebant. Denique silendum non est nomen *memoria,* de quo nomine haec habet S. Augustinus[1]: *Martyribus enim nostris, non templa, sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo, et martyrum et nostro*[2].

1. L. XXII de Civ. Dei, c. 10, t. VII, col. 673. — 2. Cf. cit. S. Augustini librum de vera relig., cap. 55; Epist. XLIX, quaest. 3; L. VIII de Civ. Dei, cc. 26, 27. Monet opportune Sylvius, gentilium esse, ecclesias nostras fana et delubra vocitare.

Igitur, in aedibus sacris, apud catholicos, omnes isti fines verificantur: apud extraneos, vel unus, vel alius finis frustratur, maxime qui respicit sacrificii oblationem, sacramentorum receptionem et sacrarum reliquiarum asservationem [1].

Quaenam autem sit aedium sacrarum mystica significatio, rerum theologicarum assiduum cultorem non facile effugiet. Nimirum, facile intelliget ipsum hominem christianum, baptismate sanctificatum, esse Spiritus Sancti habitaculum, atque tamquam lapidem vivum, superaedificandum in caeleste templum Dei, iuxta ea quae in festo dedicationis Ecclesiarum perbelle canitur in liturgia, cum ipsemet Dominus noster sit saxum absque manibus abscissum, lapisque angularis. Et sicut in medio templi materialis adest altare, in quo, ut mox dicemus, agnus quotidie immolatur pro peccatis totius mundi, ita conari debet homo ut cor suum, tamquam altare suavem spirans odorem, mundum ac purum servetur, in quo spirituales Deo hostias iugiter immolet.

3. — Aedes sacrae. — Imprimis, quod ad aedes pertinet, dicendum est hoc sacramentum, regulariter loquendo, celebrari debere in domo, per quam significatur Ecclesia, secundum illud [2]: *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi:* extra Ecclesiam enim non est locus veri sacrificii, ut S. Augustinus dicit [3]; attamen, instante necessitate, permittitur missam celebrare sub dio, in navi, vel sub tentorio, ut in castris fieri solet [4].

4. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti Christum non esse passum in domo, sed extra portam civi-

1. Cf. Bellarmin., de Eccles. triumph. l. III, de Cultu Sanct., c. 4, passim t. I. — 2. 1 Tim., III, 15. — 3. In libro Sent. Prosperi, c. 15. App. t. X, col. 224. — 4. 3, Quaest. LXXXIII, Art. 3, ad 1m.

tatis, secundum illud [1] : *Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est,* — respondetur, passionem Christi non esse celebratam intra civitatem Iudaeorum, sed sub dio, quia eius Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis iudaicae, sed erat in universo mundo fundanda, ut sic totus mundus esset veluti una domus per respectum ad passionem Christi; et hac de causa, etiam sub dio, ut diximus, interdum hoc sacrificium celebrari permittitur, licet regulariter loquendo, celebrari debeat in Ecclesia, non solum decentiae causa, sed etiam ut unitas gregis Christi, per domum significata, repraesentatur [2].

5. — **Altaria**. — Altare, quod graecae θυσιοτηρίον a θύω, *immolo*, ant τράπεζα, *mensa*, interdum appellatur [3], regulariter loquendo, lapideum esse debet, et hoc, tum propter significationem, tum propter usum sacramenti. Propter significationem: altare enim significat Christum, qui petra vocatur [4]: *Petra autem erat Christus,* et praeterea corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum; propter usum sacramenti, lapis enim et solidus est, et potest inveniri ubique. — Et in hoc patet differentia inter novam et veterem Legem: nimirum, sub Lege veteri, altare quod in uno solo loco erat, prohibitum est fieri de lapidibus insectis, ad vitandum idololatriae periculum; sed fiebat aut de terra, aut de lignis Sethim vestitis aere vel etiam auro [5]. Igitur altare, in quo missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, ab episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea similiter ab epi-

1. Hebr., XIII, 12. — 2. S. Thom., ibid. — 3. Quando in altari corpus alicuius martyris condebatur, tunc dicebatur *confessio,* quod est, confessionis locus. In caemeteriis christianis, sepulchrum martyris alicuius, lapide coopertum adhibebatur, pro sacrorum mysteriorum celebratione. — 4. 1 Cor., X, 4. — 5. Exod., XX, XXV, XXVII. Hic, ad 5m.

scopo consecrata, in eo inserta, quae tam ampla sit, ut hostiam et maiorem partem calicis capiat [1].

Martyrum quoque reliquiae sunt in altari collocandae, propter honorem martyrum Regi debitum, et ad caelitum intercessionem postulandam: in quo celebre est illud S. Luciani Antiocheni, qui passus est anno 312; qui in carcere constitutus, cum catenis onustus iaceret, suo ipsius pectore pro altari usus est, et adstantibus concaptivis, sacra sic mysteria confecit.

6. — Calix. — Calix olim non aureus, sed ligneus, interdum vero vitreus, aut lapideus, in sacrificio adhiberi consuevit; postmodum statutum est, ut fieret ex auro, vel saltem ex argento, aut etiam ratione paupertatis, ex stanno, dummodo cuppa sit argentea, interius inaurata; unde proscribuntur calices lignei, lapidi et vitrei, quia cum lignum porosum sit, sanguis consecratus in eo remaneret, vitrum autem et lapis res sunt fragiles, et posset fractionis periculum immine re [2].

Sicut calix, graece κύλιξ, vas profundum ad potandum adhibitum, sanguini Domini continendo, portando atque bibendo ordinatur, unde etiam ποτήριον τῆς εὐλογίας, *calix benedictionis* [3] aut ποτήριον Κυρίου, *calix Domini* [4] interdum appellatur, — ita patena, a *patendo,* quod patula esse debet, denominata, ad recipiendum corpus sacratissimum Domini nostri destinatur. Utrumque autem apte repraesentat sepulcrum in quo, peracto opere redemptionis nostrae, triduo iacuit corpus Salvatoris; mystice autem utrumque potest significare cor hominis, quod Deo late patere debet, ad pretiosissimi Sanguinis gratiam abunde recipiendam [5].

1. Dominus noster super altare ligneum, quod in Basilica S. Ioannis Lateranensis adhuc asservatur, consecrasse fertur; et similiter S. Petrus, necnon plures ex priscis Pontificibus, ad sextum usque saeculum, etsi etiam tunc in hunc finem lapides consecrari solerent. — 2. Ad 6m. — 3. 1 Cor., X, 16. — 4. Ibid., X, 21; XI, 27. — 5. Innocent. III, de Sac. Alt. Myster., l. VI, c. 1.

7. — **Corporale.** — Corporale esse debet non de panno serico, aut intincto, sed de panno lineo, quemadmodum corpus Christi legimus fuisse involutum in sindone linea et munda. Competit pannus lineus, propter sui munditiam, ad significandam conscientiae puritatem, et propter multiplicem laborem quo talis pannus praeparatur, ad significandam Christi passionem[1].

Antiquitus corporale, quod ampliori forma donabatur, adhibebatur non solum ad recipiendum corpus Domini, sed etiam ad cooperiendum calicem; nunc autem ad hoc alterum officium ordinatur palla a corporali distincta, ita tamen ut utrumque habeatur tamquam unum linteamen, ad tegendum, involvendumque corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi[2]. Valde autem opportunum est id quod monet Angelicus Doctor de huiusmodi sacro linteamine. Nimirum, panni in quibus corpus Christi consecratur, repraesentant sindonem mundam, qua corpus Christi involutum fuit; et ideo sicut illa linea fuit, ita non licet nisi in pannis lineis corpus Christi consecrare. Linum etiam competit huic sacramento, et propter puritatem, quia ex eo panni candidissimi et facile mundabiles fiunt, et propter multiplicem tunsionem lini qua paratur ad hoc, ut ex eo fiat pannus candidus, quae competit ad significandam passionem Christi; unde non deceret de pannis sericis corporale et pallas altaris esse, quamvis sint pretiosiores, neque de panno lineo tincto, quamvis sit pulchrior[3]. — Huc etiam facit quod habet Beatus Albertus Magnus[4]: *In tribus quae perducunt corporale lineum ad candorem, intelliguntur tria, quae faciunt ad nostram mundificationem: primo enim lavatur, secundo torquetur, tertio exsiccatur. Sic qui ad suscipiendum Dominum nostrum mundus vult fieri, primo debet per*

1. S. Thom., 3. Quaest. LXXXIII, art. 3, ad 7m. — 2. Pontif. Rom., de Benedict. Corporalium. — 3. 4, Dist. XIII, Quaest. I, art. 2, sol. 3, ad 3m, ad litt. — 4. Sermo XV, de SS. Eucharist. Sacram.

aquam lacrymarum lavari, secundo per opera poenitentiae torqueri, tertio per fervorem amoris Dei a carnalium desideriorum humore siccari.

8. — Solvitur tacita obiectio. — Obiicienti, inter alios pannos, pretiosiores esse sericos, ideoque sicut calix fit ex auro, quod pretiosius est inter metalla, ita pallae altaris fieri debent de panno serico, — *respondetur,* in assignatione materiae earum rerum quae pertinent ad sacrificium altaris, attendendum esse non solum ad materiae pretiositatem, sed etiam ad significationem; competit autem pannus lineus propter sui munditiam, ad significandum conscientiae puritatem, et propter multiplicem laborem quo talis pannus praeparatur, ad significandam Christi passionem [1]. Ceterum, in ritibus Ecclesiae, specialis respectus habendus est ad id quod in Scriptura factum legimus; porro, apud Ioannem scribitur [2]: *Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.*

9. — PROP. — Ea in quibus sacramentum Eucharistiae conficitur, consecrari debent, non tamen de necessitate sacramenti aut sacrificii.

10. — Quid per benedictionem vel consecrationem intelligatur. — Imprimis advertendum est, benedictionem a consecratione ritualiter distingui in hoc quod in ista adhibentur unctiones cum sacro chrismate vel sancto oleo, minime vero in illa, licet iuxta antiquum morem, Ecclesia, in benedicendo, verba adhibeat, *benedicere, sanctificare* et *consecrare,* etiamsi nulla fiat unctio [3]. Benedictio

1. 3, Quaest. LXXXIII, art. 8, ad 7m. — 2. C. XIX, 40. — 3. In Rituali Romano accurate notatur, quaenam res formali consecratione, quaenam simplici benedictione indigeant; ibi pariter dicitur ad quemnam ministrorum ordinem, una alterave benedictio pertineat. Tit. VIII.

autem, de qua hic agitur, est benedictio *constitutiva;* et distinguitur a benedictione *invocativa* in hoc quod per hanc, Dei benignitas invocatur, ut personis vel rebus aliquid boni tribuat, easque liberet a malo, immutato illorum statu; per benedictionem vero constitutivam, persona vel res ad divinum cultum ita destinatur, ut in permanenti statu rei sacrae constituatur: scilicet personis vel rebus consecratis character supernaturalis imprimitur, quibus a rebus profanis discernuntur, et ad Dei cultum singulariter destinantur; unde harum personarum aut rerum indebitus usus ad sacrilegii rationem pertinet; nam, *ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum, et sic ei quaedam reverentia debetur, quae refertur in Deum* [1]. Hinc nota est iuris regula [2]: *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.*

11. — Prob. ex Sacra Scriptura. — Imprimis, potest enunciata veritas erui ex Sacra Scriptura, in qua exempla subministrantur specialis dedicationis aut consecrationis rerum aut locorum ad cultum divinum spectantium. Sic de Iacob refertur quod lapidem erexit, eumque inungendo consecravit, ac libamina super eum libavit, addito sacro nomine Bethel, id est domus Dei [3]. Pariter Moyses iussus est tabernaculum, altare et omnia vasa sacra oleo, additis quibusdam caeremoniis, consecrare [4]; et celebris est, inter ceteras, dedicatio templi salomonici [5]. Christus quoque et Apostoli, licet interdum, ob speciales rationes, verbum Dei extra aedes sacras praedicaverint, ordinarie tamen in templo vel in synagogis id fecisse leguntur [6]. Quocirca et primi christiani ecclesias habuerunt, a privatis habitationibus distinctas, ut

1. 2 2ae, Quaest. XCIX, art. 1. — 2. In Sexto Reg. 51. — 3. Gen., XXXV, 14, 15. — 4. Exod., XL. — 5. 2 Paralip., VII. — 6. Cf. Matth., IV, 23; IX, 35; Io., XVIII, 20; Act., V, 20, 21; etc.

colligere est ex Apostolo dicente [1]: *Convenientibus vobis in Ecclesiam*, etc.; et rursus [2]: *Mulieres in ecclesiis taceant:... si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Quocirca hoc semper inde ab antiquis temporibus cautum est, ut loca quaedam divino servitio deputarentur. Ceterum notum est quomodo precibus S. Gregorii neocaesariensis episcopi, rupes loco mota spatium aedificandi templi dederit; quomodo etiam SS. Pudentianae et Praxedis domus in ecclesiam commutata fuerit, ut refertur in martyrologio romano [3].

12. — Consuetudo ecclesias Deo dedicandi et consecrandi. — Porro notum est, perpetuam fuisse consuetudinem, ecclesias dicari, consecrari vel benedici: quam quidem solemnitatem, temporis decursu, Summi Pontifices et episcopi copiosis indulgentiis cumularunt [4]. Nam, uti legimus in Breviario [5], quamvis ritus quo nunc utitur Romana Ecclesia, sit a Sylvestro Papa institutus, antea tamen mos quoque fuit, loca pro sacris officiis peragendis, adhibitis aliquibus caeremoniis, deputari, uti a S. Athanasio accipimus. *Illud*, ait [6], *et a beatae memoriae Alexandro, aliisque Patribus factum est, qui populi conventus habuere, et absoluto opere, agendis Deo gratiis dedicationem celebraverunt.* Nimirum, *si*, ut ratiocinatur Felix IV [7], *Iudaei, (qui umbrae legis deserviebant), loca in quibus sacrificabant Domino, divinis habebant supplicationibus consecrata, multo magis nos quibus veritas patefacta est*, etc. Revera, consecratio vel dedicatio templorum ad legem caeremonialem minime pertinebat, ut rite advertit Sylvius [8], sed ad moralem: natura enim

1. 1 Cor., XI, 18. — 2. 1 Cor., XIV, 34, 35. — 3. Die 20 Iunii. — 4. Vide opus. n. Les Indulgences, leur origine, nature et développement., vol. II, c. IV, n. 3. Paris, p. 6. — 5. Die 9 Nov. — 6. In Apolog. ad Constantium Imperat. — 7. De Consecrat., Dist. I, cap. II, *Tabernaculum*. — 8. Loc. cit.

et ratione instigante, id iudaei faciebant, ut pro perfecto templo Deo gratias agerent, et ut populum ad laudem et cultum Dei alacrius instigarent: quae quidem pariter intendunt Catholici, dum ecclesias solemniter dedicari curant.

13. — Ecclesiae praescriptum. — Huc facit quod in Concilio Tridentino praescriptum legimus[1]: *Nec patiantur* (Ordinarii) *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum tantum cultum dicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi.*

14. — Ratio theol. — In his quae circumstant hoc sacramentum, duo considerantur: quorum unum pertinet ad repraesentationem eorum quae circa dominicam passionem sunt acta: alterum vero ad reverentiam huius sacramenti, in quo Christus secundum veritatem continetur, et non solum in figura. Ergo conveniens est ut consecrationes adhibeantur his rebus quae veniunt in usum huius sacramenti, tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sanctitatis, quae ex passione Christi provenit, secundum illud[2]: *Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum,* etc., tum etiam ad significandam sanctitatem quae requiritur in his qui de hoc sacrificio participant, aut hoc sacramentum suscipere debent. Quocirca, regulariter loquendo, non licet celebrare hoc sacramentum nisi in domo consecrata, et super altare consecratum, et cum calice et corporali pariter consecratis. — Hoc tamen, ut dicitur, non est de necessitate sacramenti aut sacrificii; unde et conceditur ut in ecclesiis simpliciter benedictis, interdum

1. Sess. XXII, Decret. de observ. et evit. in celebr. missae. — 2. Hebr., XIII, 12.

vero etiam in aedibus profanis, missa celebretur, non tamen sine lapide ab episcopo consecrato: in quibus omnibus profecto observanda sunt Ecclesiae statuta [1].

15. — Scholion. — Specialiter solet recoli anniversaria dies consecrationis ecclesiae vel altaris, quia consecratio prioris repraesentat sanctitatem totius Ecclesiae, consecratio vero posterioris sanctitatem Christi Domini, qui significatur per altare, cum de eo dicat Apostolus [2]: *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo.* Octo diebus vero solemnitas dedicationis agitur, ad significandam beatam resurrectionem Christi et membrorum Ecclesiae [3], cohaerenter iis quae in libris Regum leguntur, perfecta templi dedicatione [4].

16. — Quaenam virtus spiritualis, ecclesiae, altari, calici, vel corporali, per consecrationem, adnectitur. — Sciendum vero, ex consecratione ecclesiae, altaris, calicis et corporalis, utpote quae non est opus solius hominis, sed Dei hominum ministerio instrumentaliter utentis, specialem quamdam virtutem rebus consecratis derivari; non quasi res istae sint susceptivae gratiae, cum sint inanimatae, sed quia ex consecratione virtutem quamdam spiritualem adipiscuntur, per quam aptae redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde dicitur [5]: *Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus;* et rursus [6]: *Vere Dei virtus quaedam est in loco: nam ipse qui habet in caelis habitationem, visitator et adiutor est loci illius.* Et inde est, quod huiusmodi ante consecrationem emundantur et exorcizantur, ut exinde virtus ini-

1. Consulat lector hac de re sacrorum canonum praescripta. — 2. Hebr., XIII. 15. — 3. Ad 4m. — 4. 3 Reg., VIII. — 5. 3 Reg., IX, 3. — 6. 2 Machab., III, 38, 39.

mici pellatur. Propter hoc, quidam probabiliter dicunt quod per ingressum ecclesiae consecratae homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut et per aspersionem aquae benedictae, inducentes quod dicitur[1]: *Benedixisti, Domine, terram tuam,... remisisti iniquitatem plebis tuae.* Igitur per consecrationem, templa sacra sortiuntur divinam praesentiam, ad excitandam fidelium devotionem, ad coercendos daemones, ad remittenda venialia peccata, ad faciliorem exauditionem, et ad gratiarum impetrationem[2].

Eadem quoque ratione ecclesia reconciliari debet, si quando polluta fuerit, quod est vel per homicidium in ea perpetratum, vel per mortaliter iniuriosam proprii vel alterius sanguinis effusionem, per sepulturam excommunicati non tolerati vel infidelis, vel per quamcumque seminis humani effusionem in ea voluntarie factam: per huiusmodi enim peccata in ecclesia commissa, apparet aliqua operatio inimici[3].

17. — Altarium pluralitas in templis. — Huc quoque pertinet usus antiquus, plura in uno eodemque templo altaria, seu sacella, erigendi, quasi parecclesias, ut a graecis vocantur, vel ecclesiarum appendices, in quibus divina mysteria, in honorem unius alteriusve sancti, celebrentur. Huius rei testis est vetus consuetudo altare erigendi super singula martyrum corpora[4]; unde et legimus plura olim iam altaria collocata fuisse in basilicis S. Petri in Vaticano et S. Pauli via Ostiensi[5]. Plurium quoque altarium meminit S. Ambrosius, dum refert mi-

1. Ps. LXXXIV, 2, 3. — 2. Fr. Sylvius, in 3 Quaest. LXXXIII. art. 3. concl. 3. Cf. S. Bernard., Serm. I de Dedicat., S. Gregor., L. III Dialog., c. 30; S. Ambros., in fine exhort. virginitatis C. XIV, n. 94, t. IV. col. 378. Ex hoc deducitur quanta nos debeamus reverentia in domo Dei conversari, quantum nobis adlaborandum sit, ut fideles inibi sancte et devote consistant. — 3. Ad 3m. — 4. Cf. Baron., ad a. 57, n. 105. — 5. Ciampinus, De Sacris aedificiis, Cap. IV, sect. 4, p. 51.

lites irruisse in altaria [1]; et S. Gregorius Magnus, scribens ad Palladium Sanctoniensem episcopum, ait [2]: *Veniens lator praesentium.... insinuavit nobis fraternitatem vestram ecclesiam.... construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse* [3]. — Quae cum ita sint, constat iure meritoque proscriptam fuisse tamquam temerariam, perantiquo ac vigenti probatoque Ecclesiae mori iniuriosam, propositionem pseudosynodi pistoriensis [4], enunciantem, *conveniens esse, pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere.*

18. — Solvuntur tacitae obiectiones. — I. Apud Graecos, ut plurimum, nonnisi unicum altare in Ecclesia habetur.

Respondeo, cum Cardinali Bona [5], plura apud ipsos Graecos Ecclesiae proxima muroque disiuncta construi solere sacella seu oratoria, in quibus profestis diebus liturgiae privatim aguntur.

II. Altare est symbolum Christi, qui unus est. Ergo et ipsum unicum esse debet.

Resp. Quemadmodum hoc symbolum non infirmatur per erectionem plurium templorum etiam in eadem civitate, ita perfecte salvatur, etiam multiplicatis altaribus in uno eodemque templo, cum unitas et templi et altaris formaliter accipiatur, scilicet inspecta unitate hostiae quae in ea offertur, et supremae maiestatis, in cuius honorem offertur.

III. Plures ex Patribus, ut S. Iustinus martyr, S. Cyprianus, S. Optatus, unum tantum altare memorant in locis sacris erectum.

1. Epist. XX, n. 26, t. V, col. 406. — 2. Lib. V, Indict. XIV, Ep. L. — 3. Cf. PERRONE, de Euchar., c. IV, prop. 3, n. 412. — 4. Est prop. 31ª. — 5. Rerum Liturgic., L. I, cap. 14, § 3.

Resp. Varia hac de re olim viguit disciplina: nimirum, sicut in nonnullis provinciis, nulla ruri erat ecclesia, ac ne in urbibus quidem, alia ecclesia praeter cathedralem, ita in nonnullis templis unum tantum altare collocabatur. Crescente tamen fidelium multitudine, ut omnium devotioni satisfieret, plura constructa sunt templa, plura itidem in singulis templis altaria erecta.

19. — Altarium ornamenta. — Ad praesens argumentum referri etiam potest vetus consuetudo exponendi super altaria, in loco paululum a mensa submoto, capsas Sanctorum reliquias continentes, cuius consuetudinis testis est S. Gregorius Turonensis, qui refert se respondisse[1]: *Requiescant beatae reliquiae super altaria, donec mane procedamus ad occursum earum.* — Flores etiam naturales, inde a priscis temporibus ponere consueverunt christiani, uti testantur S. Augustinus[2], Venantius Fortunatus[3], S. Hieronymus[4], S. Paulinus Nolanus[5], S. Gregorius Turonensis[6]. Quocirca merito proscripta est tamquam temeraria et Ecclesiae mori iniuriosa, pseudosynodi Pistoriensis propositio[7], qua vetabat *ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve apponantur.* Enimvero fideles consuetudinem flores naturales, eorumve defectu, flores fabrefactos, super altaria collocandi, eo fine induxerunt, quod, ut ait Perrone[8], florum plura symbola biblica habeantur, tum ad Christum ac Beatam Virginem, tum ad christianorum bona opera significanda idonea: cuius piae consuetudinis condemnatio nimio iansenistarum rigori debetur. Catholico viro potius normae esse debet

1. Hist. Franc., l. IX, cap. 6, P. L. Migne, T. 71, col. 484. — 2. L. XXII de Civ. Dei, cap. 8, passim. — 3. L. VIII Carm. IX ad Radegundem, cui carmini titulus est: *De floribus super altare.* — 4. Ep. LX, ad Heliodor., n. 2. t. II, col. 340. — 5. Natali III S. Felicis. — 6. De gloria Confessorum, c. 50, Ibid., col. 866. Cf. Card. Bona, Rerum liturgic., l. I, c. 25, § 13. — 7. Est 32a. — 8. De Euchar., c. IV, n. 414.

quod in Caeremoniali episcoporum legitur[1]: *Sed ipsum ciborium floribus frondibusque ornari poterit*[2].

20. — Tacita obiectio. — Contra id quod dicebamus, reliquias Sanctorum convenienter, ornamenti instar, super altaria poni, obiici posset, non super altare, sed, ut insinuatur in Apocalypsi, sub altari, Sanctorum corpora requiescere debere, quod etiam veneranda antiquitas observasse deprehenditur. — Cui facile *respondetur*, quod licet Sanctorum reliquiae olim sub altari conderentur, non desunt tamen documenta, ex quibus constat eas super altare interdum repositas fuisse, quod quidem et cohaeret verbis Apocalypseos[3]: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius. — Quid enim*, quaerit Perrone[4], *magis consonum, quam ut iuxta effigiem Christi Domini e Cruce pendentis, membra dilaniata eorum resideant, qui e Cruce virtutem patiendi traxerunt?* Ceterum, res ista disciplinaris est, unde Ecclesiae iudicio omnino subest, quae pro locorum temporumve ratione decernere potest ut vel sub altari, vel super altare reliquiae Sanctorum asserventur: ordinationi autem Ecclesiae omnes acquiescere debent.

21. — Solvuntur difficultates. — I. Deus semel et iterum templum hierosolymitanum destructioni tradidit. Ergo templorum erectio grata non est divinae maiestati.

Resp. *Nego conseq.* — Templum hierosolymitanum, ut Scriptura testatur, Deo ipso auctore est erectum, eique gratum extitit, quousque homines intellexerunt templum illud erectum fuisse, non in Dei gratiam, quasi il-

1. Cap. XII de Ornatis. — 2. Legi utiliter hac de re potest, ETUDE SUR LE SYMBOLISME DE LA NATURE, interprété d'après l'Ecriture Sainte et les Pères, par Mgr. DE LA BOUILLERIE, évêque de Carcassonne. Paris, 1864. — 3. C. III, 21. — 4. De Euchar., c. IV, n. 423.

lic capi deberet, sed in hominum utilitatem, ut videlicet ibi sacrificium quod praescripserat, divinitati offerretur. At postquam Iudaei in varia crimina ceciderunt, et in externo templo confidentes, superbe putarunt Deum ibidem capi, sibique propter illud fore propitium, Deus templum illud dirui voluit: cuius ultima destructione significatum est, umbrarum et veteris Testamenti statum desiisse, ait Sylvius [1].

II. S. Ioannes templum non vidit in civitate, per quam significabatur Ecclesia [2]. Ergo non sunt erigenda templa ad Deum adorandum eique sacrificandum.

Resp. *Nego conseq.* — S. Ioannes ibi loquitur de Ecclesia triumphante, ut explicat S. Augustinus [3]: dicitur enim quod in ea nox futura non sit, et quod nihil coinquinatum intrabit in eam, quae de Ecclesia militante dici non possunt. Porro, beatis in patria opus non est templo materiali ad Deum adorandum, cum facie ad faciem illum videant et toto affectu in eum ferantur.

III. Dixit Dominus noster [4]: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Ego sacrificandum est Patri in omni loco, et non solum in templis materialibus.

Resp. *Nego conseq.* — Christus his verbis non significat tempus adfuturum, quando homines Deum non amplius in templis manufactis sint adoraturi; quin potius implicite praedicit, abolendum esse locum, tum apud Samaritanos, tum apud Israelitas, sacrificio offerendo deputatum; quibus multa alia successura forent loca, in quibus Deus, non caeremoniis corporalibus et umbraticis, sicut apud Iudaeos, aut ritu falso et erroneo, sicut apud Samaritanos, colendus esset fervore spiritus, necnon cultu spirituali et ab omni errore immuni, iuxta illud [5]: *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* In

1. Hoc loco. — 2. Apoc., XXI, 22. — 3. L. XX de Civ. Dei, c. 17. — 4. Io., IV, 21. — 5. Malach., I, 11.

his templis autem Deum non sic adoramus, quasi illum in eis concludi putemus: quem ethnicorum errorem, ut refelleret, dicebat S. Paulus[1]: *Deus... non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur.* Similem errorem iamdiu refellerat Deus ipse, dicens per Isaiam[2]: *Quae est ista domus, quam aedificabitis mihi?* Superbe nimirum opinabantur Iudaei, ea quae de Sion praedicta erant, adimplenda esse carnaliter; cum Deus e contra humiles et contritos corde esset quaesiturus.

22. — Quantum oporteat sacerdotem in iis quae divinum cultum respiciunt, sollicitum esse. — Porro, cum omnia haec, quae ad sacram complendam liturgiam, ex institutione Ecclesiae, sub dictamine Spiritus Sancti ordinantur, mysticum sensum praeseferant, ideoque laudem et cultum Dei resonent, cultus enim exterior est interioris pietatis splendor, hinc omnibus, et maxime sacris ministris commendandum est, ut curam habeant diligentem de munditia ac nitore paramentorum altaris et vasorum sacrorum, eaque cum omni honore tractent.

Nec parum conferet fovendae in res sacras existimationi exemplum eius quod a Deo in exstructione tabernaculi ordinatum est; de qua re sequentia leguntur in Exodo[3]: *Ecce vocavi ex nomine Beseleel,... et implevi eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere; ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et aere, marmore, et gemmis, et diversitate lignorum; dedique ei socium Ooliab:... et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta quae praecepi tibi.*

Praeclarum quoque sancti ac honoris domus Dei percupidi sacerdotis exemplum nobis offertur in Pontifice Simone, Oniae filio, cuius laudes hoc praeconio celebrantur[4]:

1. Act., XVII, 24, 25; Cf. Ibid., VII, 48. — 2. C. LXVI, 1. — 3. C. XXX, 2, seqq. — 4. Eccli., L, 1, seqq.

Simon Oniae filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex aedificatio, et excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Qui praevaluit amplificare civitatem, qui adeptus gloriam in conversatione gentis, et ingressum domus et atrii amplificavit.

Huc denique facit quod hac super re scribit S. Hieronymus, in pulchro quod de Nepotiano presbytero texit elogio [1]: *Ut enim Creatorem non in caelo tantum miramur, et terra, sole, oceano, elephantis, camelis, equis, bubus, pardis, ursis, leonibus; sed et in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, et istiusmodi genere, quorum magis corpora scimus quam nomina, eamdemque in cunctis veneramur solertiam: ita mens Christo dedita, aeque et in maioribus et in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. Erat ergo sollicitus* (Nepotianus), *si niteret altare, si pariëtes absque fuligine, si pavimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa lucentia: et in omnes caeremonias pia sollicitudo disposita, non minus, non maius negligebat officium. Ubicumque eum in Ecclesia quaereres, invenires... Hoc idem possumus et de isto dicere, qui basilicas Ecclesiae, et martyrum conciliabula, diversis floribus et arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit: ut quidquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quam visu, Presbyteri laborem et studium testaretur.*

1. Epist. LX, ad Heliodor., n. 2. Opp., t. II, col. 340.

ARTICULUS III. — *Utrum in celebratione sacrificii eucharistici sacerdos uti debeat vestibus sacris.*

1. — Usus sacrarum vestium in divinorum mysteriorum celebratione. — Celebris est descriptio quam Iesus, filius Sirach, fecit de Summo Sacerdote veteris Legis, cum hic, spectante populo, sanctuarium sacris indutus vestibus, ingrederetur [1]: *Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne; quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso; quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriae, et vestiri eum in consummatione virtutis; in ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.* Enimvero, iusserat Deus ut Aaron et filii eius specialibus uterentur vestibus, cum ad altare ministrare debebant [2], tum propter honorem Dei, tum propter populi aedificationem [3]. — Quae cum ita de veteri Lege constiterint, iam videndum est quid, relate ad vestium usum, de praecellenti eucharistico ritu sit decernendum.

2. — PROP. — In celebratione sacrificii eucharistici sacerdos uti debet vestibus sacris.

Prob. — Revera, si in veteri Lege tam severe ordinaverat Deus ut sacerdotes, dum sacra facerent, specialibus uterentur vestibus, si insuper idipsum in omni religione observatum videmus, omni dubio procul dicendum est, Deum voluisse ut in nova Lege, quae veteris plenitudo et perfe-

1. ECCLI., L, 6, seqq. — 2. EXOD., XXVIII. — 3. Cf. SAP., XVIII, 24.

ctio est, sacerdos, in sacris perficiendis, non communibus et vulgaribus vestibus, sed specialibus utatur, ne ipsae res sacrae vilescant, et ut debitus honor sanctissimis fidei nostrae mysteriis concilietur. Quocirca declarat Sacra Tridentina Synodus [1], sacrarum vestium usum praescriptis ac traditione Apostolorum inniti; et sensus iste tam profunde fidelium mentibus insitus est, ut illum certe tamquam profanatorem corporis Christi haberent, quem viderent in vestibus usitatis illud conficere.

3. — **Forma et materia sacrarum vestium.** — Quod attinet ad formam sacrarum vestium, haec fideliter servari debet, secundum acceptam primitus traditionem, atque iuxta Ecclesiae praescriptum. Equidem, primis aevi christiani temporibus, forma sacrarum vestium vix aut ne vix quidem a communium vel usitatarum vestium forma, quae tunc specialem praeseferebant gravitatem, vix deprehenditur distulisse: at pro sacris faciendis non ipsae profanae vestes, verum aliae ab his distinctae, magis mundae ac pretiosae, signanter adhibebantur. Depositis autem pro civili vita istiusmodi vestibus, eadem antiqua forma pro sacris faciendis, licet interdum parumper immutata atque deturpata, retenta est: unde non semel Ecclesia partes suas esse duxit propriam huiusmodi sacrorum indumentorum, vel, ut aiunt, paramentorum debitam formam praescribere. — Quantum vero ad materiam, haec ab communium vestium materia distincta esse debet; eam insuper pretiosiorem esse omnino decet; nec parum certe admirationem excitat quod tam ingentes interdum pecuniae summae a fidelium pietate et devotione impendantur, pro parandis pretiosis sacrorum ministrorum vestibus: hoc nimirum ideo illi faciunt ob reverentiam tanto Sacramento debitam, et ut maior illius existimatio apud omnes concilietur.

1. Sess. XXII, Cap. 5 de Sacrific. Missae,

4. — Indumenta sacra debent benedici. — Advertendum etiam est, omnia liturgica celebrantis indumenta debere, antequam adhibeantur, benedici, iuxta illud [1]: *Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, et sacrata esse debent et honesta;* cum profana in usum sacrorum adhibere non liceat. Quia vero vicissim sacra in usum profanum transferri non debent, ideo S. Stephanus I Papa († 257) instituit, *ut sacerdotes et diaconi nunquam sacris vestibus, nisi in Ecclesia uterentur* [2]. Perantiquus quidem est usus haec sacrorum indumentorum benedictio, quae constat precibus, signis Crucis atque aspersione aquae benedictae. In precibus autem oratur Deus, ut purificare, benedicere et consecrare dignetur indumenta sacerdotalia, *ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant,* etc. [3].

5. — Mystica sacrarum vestium significatio. — Attendendum insuper est, in hac re, vestes sacras, etsi forsan in origine mysticis rationibus introductae non fuerint, accepisse tamen, decursu temporis, sicut omnia quae ad divinum cultum pertinent, mysticas significationes, ad exprimenda mysteria passionis Domini nostri nostrasque ad eum relationes; quae quidem significationes complentur sive ex obiecto ad quod res illae ordinantur, sive ex nomine quo appellantur, sive demum ex propria singularum forma aut colore. Igitur, interpretatio huiusmodi alia est allegorica, moralis alia: allegorica, in quantum in vestibus sacerdotalibus respectus habetur ad Christi dolorosam passionem; moralis, in quantum in eisdem consideratur virtutum christianarum exercitium; et de utraque pauca hic ad lectoris aedificationem subnectemus.

6. — Interpretatio allegorica. — Et primo quidem, de allegorica interpretatione vestium sacerdotalium no-

1. Cap. XLII de Consecr., Dist. I. — 2. Brev. Rom., die 2 August., lect. IX. — 3. Rit. Rom., Tit. VIII, c. 20,

tandum est quod, cum illa in liturgia minime expressa reperiatur, hinc ad scriptores rei asceticae recurrendum est, quorum tamen sensus non semper perfecte conveniunt. Communiori tamen interpretatione, sequentia de singulis vestibus proferri possunt.

Primo, amictus significare potest velum quo oculos et faciem Iesu Iudaei cooperuerunt, dum darent ei alapas et dicerent: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit* [1]. Alba repraesentat vestem illam albam, qua Herodes iussit indui Dominum, dum illum sprevit et illusit cum exercitu suo [2]. Cingulum imago est funium quibus Salvator in horto Gethsemani a militibus captus est, et tamquam agnus innocens ad immolandum ductus [3]. Manipulus figura est vinculorum quibus manus Domini ad columnam in flagellatione ligatae sunt [4]. Stola in memoriam nobis revocat lignum Crucis quod humeris suis impositum Salvator ad Calvarium patienter portavit [5]. Denique casula symbolum est vestis purpureae qua milites, postquam illius capiti coronam de spinis imposuerant, illum circumdederunt [6]. — Igitur, *cum haec indumenta signa sint eorum quae Christus pro nobis perpessus est, varii actus a sacerdote, dum illis induitur, eliciendi sunt, amoris, doloris, gratitudinis, et intensissimi desiderii eius patientiam et humilitatem imitandi in doloribus, afflictionibus, opprobriis aliisque adversitatibus sustinendis* [7].

7. — **Interpretatio moralis.** — Iuxta sensum moralem, variis indumentis quibus sacerdos *paratur* ad divina facienda, diversae signantur virtutes, quibus sacrum ministrum ornari oportet, dum magni Pontificis Christi ad altare locum tenet: quae quidem significatio saepe in liturgia

1. Matth., XXVI, 68. — 2. Luc., XXIII, 11. — 3. Io., XIX, 12. — 4. Ibid., 1. — 5. Ibid., 17. — 6. Ibid., 2. — 7. Card. Bona, Tract. ascet. de Missa, c. V, § 2.

exprimitur, et facile eruitur tum ex verbis quibus utitur episcopus, sive in impositione huiusmodi vestium, sive in degradatione indignorum ministrorum, tum ex orationibus quas sacerdos, dum illas vestes induit, recitat [1].

Amictus, dum capiti primum imponitur, galeam salutis designat, de qua pluries loquitur Apostolus [2], qua spes salutis opportune significatur. *Sicut enim galea principem corporis partem, puta caput ipsum, a quo cetera membra, totusque homo pendet, tuetur et communit, ita spes salutis et gloriae caelestis ac immortalis servat et communit caput, id est hominis cogitationes, fines et intentiones* [3]. — Per amictum etiam, cum collo et humeris imponitur, significatur castigatio vocis [4]: decet enim hominem sacra facientem, dum mentem in caelestium consideratione defixam habet, linguam caute custodire, ut dignum evadat instrumentum divinis laudibus concinendis.

Alba (scilicet vestis) significat munditiem cordis et corporis, qua sacerdotem oportet ad mensam Domini accedere, ad imitationem Beatorum qui amicti stolis albis, *venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni* [5]. Praeclara sunt quae hac de re scribit Hugo de S. Victore [6]: *Tunica byssina est quae graece* ποδήρης, *id est, talaris appellatur, quia a collo usque ad talos extenditur... Haec, ob speciem candoris, nomen albae sortitur, quo munditiam significat ministrorum Dei... Caro hominis munditiam, quam ex natura non habet, studio bono adnitente, acquirit per gratiam, ut secundum Apostolum,*

1. Ad nos hic non pertinet plura referre circa originem ac variam evolutionem vestium sacerdotalium, de qua re multa sunt praeteritis temporibus egregie conscripta. Signanter legi potest G. Braun, S. I., I Paramenti sacri, loro uso, storia e simbolismo. Trad. del P. G. Alliod, S. I. Torino, 1914. — 2. Ephes., VI, 17; 1 Thess., V, 8. — 3. Cornel. a Lapide, in 1 Thess., V, 18. — 4. Pontif. Rom., de Ordin. Subdiacon. — 5. Apoc., VII, 14. — 6. De Sacram., l. II, Part. IV, n. 2.

minister Christi corpus suum castiget et in servitutem redigat [1], *quemadmodum byssus vel linum candorem, quem ex natura non habet, per studium et industriam, multis tunsionibus et quadam vexatione attritum acquirit.*

Cingulum, quo renes praecinguntur, primo quidem ad significandam continentiae et castitatis virtutem, quae in sacerdote eminere debet, apte ordinatur, cum renes concupiscentiae sedes assignentur; reprimitur vero libidinis ardor, primo per meditationem assiduam legis divinae, quod fit per studium Sacrae Scripturae; dein per rigorem disciplinae, qua caro, quae legi Dei rebellem se prodit, efficaciter refraenatur: flos enim castitatis nonnisi spinis mortificationis septus custoditur. Praeterea, sicut solent itinerantes, operarii et milites cingulo sese praecingere, quo expeditius ambulare, laborare aut pugnare possint, ita sacerdos per cingulum, quo sacrificaturus cingitur, opportune admonetur, debere se conari ut in viis iustitiae alacer pergat, bonis operibus abundet atque certet bonum certamen fidei [2].

Manipulus, olim mantile, mappula, sudarium, fanon vel fanulus dictus, qui initio ad sudorem abstergendum adhibebatur, significat poenitentiam atque sudores vitae praesentis, qui per brachium sinistrum, cui imponitur, apte significantur; unde orat sacerdos: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris;* et in ordinatione subdiaconi monet episcopus [3]: *Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum.* Huc autem opportune revocatur illud dictum Psalmi [4]: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

1. 1 Cor., IX, 27. — 2. 2 Tim., II, 4, 5. — 3. Pontif. Rom., de Ordin. subdiacon. — 4. CXXV, 5, 6.

Cum igitur manipulus symbolum sit doloris, hinc opportune in missa adhibetur, quae est repraesentatio sacrificii Crucis; extra vero non portatur, quia nullus dolor comparari potest dolori, quem Iesus pro nobis in Calvario moriens pertulit. Per hoc autem quod episcopus dum missam de vivis celebrat, manipulum accipit solemniter in infimo gradu altaris post absolutionem, monetur debere gregi sibi commisso exemplum laboris, pugnae et sufferentiae, uti decet Apostolum, seipsum praebere.

Stola, στολή, a graeco, στέλλομαι, quod est *induo*, etsi generaliter quodcumque vestimenti genus significet, nunc tamen eam liturgicam vestem, diaconi propriam, designat, quae ante nonum saeculum orarium vocabatur [1]. Huiusmodi autem indumenti genus, quod tamquam praecipuum insigne sacerdotii est, et differenter a diacono, sacerdote et episcopo geritur [2], innocentiam significat, quae in Ecclesiae functionibus rite perficiendis requiritur, simulque sacram ministerii potestatem: humeris quippe, tamquam iugum imponitur, ad designandam sedulitatem quam in verbi Dei praedicatione, in sacramentorum administratione, in pauperibus ac aegrotis sublevandis, atque in pravis moribus coercendis, sacrorum minister adferre debet. Quocirca sacerdoti quammaxime convenit illa S. Pauli monitio [3]: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.*

Casula, cui origo est romanorum paenula, graece φαινόλης vel φελόνης, dicta est a *casa*, eo quod primitus totum hominem, tamquam minor casa, tegeret; a graecis vero πλανήτης, planeta, eo quod ora illius πλανάσθαι, *errare*, videtur. Significat autem haec, quae proprie vestis

1. Aliqui orarium a verbo *orare* derivant: at melius illud dicitur ab *os, oris*, vel etiam ab *ora* derivatum: illo quidem diaconi ad os et vultum abstergendum utebantur. — 2. A diacono, decussatim stola geritur; a sacerdote in formam crucis ante pectus transverso modo disposita; ab episcopo autem a collo omnino pendens. — 3. 1 TIM., IV, 12.

sacerdotalis est, animi dispositionem, qua iugum Domini' quod suave est, et onus illius, quod est leve, portare debet; eo autem quod ampla est, splendida atque pretiosa, significat charitatem, quae virtutum regina est, ac sacerdotem praecipue debet exornare. Cruce autem signatur huiusmodi sacerdotale indumentum, cuius rei significatio in libro *de Imitatione Christi* perbelle describitur [1]. *Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget. Habet ante se et retro dominicae crucis signum, ad memorandam iugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat et sequi ferventer studeat. Post se cruce signatus est, ut adversa quaelibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat. Post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat, nec ab oratione et oblatione sancta torpescat, donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur.*

8. — **Sacrarum vestium colores.** — Porro, circa sacras vestes, non solum attendendum est ad varias earumdem partes, sed etiam ad colores quibus Ecclesia utitur, qui nunc quinque distinguuntur: albus, rubeus, viridis, violaceus et niger [2]. Hac nempe colorum varietate fidelis excitatur animus ad varios laetitiae, spei, charitatis, poenitentiae, aut moeroris sensus excitandos, quo plenior fiat in unoquoque, ex devotionis augmento, gra-

1. L. IV, Cap, 5, n. 3. — 2. Miss. Rom., Rubr. gen., tit. XVIII, n. 1. Proscripti manent colores flavus et similiter caeruleus; rosaceus vero adhiberi deberet Dominica tertia Adventus, *Gaudete*, et Dominica quarta Quadragesimae, *Laetare*. Caeremon. Episc., l. II, cc. XIII et XX. Paramenta vero ex auro maxima ex parte contexta tolerantur pro coloribus albo, rubro et viridi.

tiae Christi participatio. — Non inopportune pauca hic de singulis coloribus edisseremus.

Primo loco venit color albus, quo utitur Ecclesia in festis Domini nostri, Beatae Virginis, sanctorum Angelorum et omnium Sanctorum non martyrum, ad denotandum animi candorem, quo nos ad illorum imitationem Deo servire debemus, necnon splendorem gloriae caelestis, ad quam tendimus. Visis igitur candidis istis vestibus christiani hominis animus excitatur ad fovendam puritatem et munditiam cordis, ut dignus inveniatur, qui sequatur Agnum quocumque ierit [1].

Rubeo colore, qui in festis passionis Domini Nostri et sanctorum Apostolorum et martyrum adhibetur, mystice significatur ardor charitatis, quae impulit, hinc quidem Iesum, ut pretio Sanguinis sui nos redimeret, illinc vero gloriosos illos Sanctos, qui *rubri* iam *fluido sanguine fulgidis cingunt tempora laureis* [2]. Hoc etiam colore utitur Ecclesia in festo Pentecostes, qua die Spiritus Sanctus in Apostolos venit sub forma linguarum ignearum, *verbis ut essent proflui et charitate fervidi* [3].

Viridis color, quo in dominicis et feriis ab octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et ab octava Pentecostes usque ad Adventum utitur Ecclesia, metaphora desumpta ex virentibus herbis et plantis, quibus, verno recurrente tempore, natura colles et valles miro modo vestit et exornat, ordinatur ad significandam beatam illam spem filiorum Dei, quibus, post vitae praesentis tribulationes, gloria sempiterna repromittitur: sicut enim spes messis est in semine virenti, ita dum in tribulatione patimur, spe quoque gaudentes sumus [4], promissam mercedem, quae nos in caelis manet, fidenter expectantes.

Violaceo colore, poenitentiae diebus, maxime in Adventu et Quadragesima, utitur Ecclesia, ut nos admoneat,

1. Apoc., XIV, 4. — 2. Hymn. ad Vesp., in officio plurim. Martyrum. — 3. Hymn. ad Laud. in festo Pentec. — 4. Rom., XII, 12.

debere in cordibus nostris sensus illos vigere, quorum humilis flos, unde color ille nomen proprium traxit, symbolum existit. Nimirum, sicut viola in profundis vallibus, sub sepibus aut in tumulis modeste ac solitarie crescit, quasi se ab hominum adspectibus abscondere volens, et soli Deo dulcem spirare odorem; ita quem sincerus poenitentiae desiderium tenet, vitam ducere debet absconditam cum Christo in Deo[1], et salutarem in corde poenitentiae spiritum nutrire, secundum illud [2]: *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.*

Nigris vestibus utitur Ecclesia feria sexta in Parasceve, ad commemorandam mortem Domini, necnon in fidelium adultorum exequiis: rite quidem. Nam nigrum non est color, verum potius omnium colorum privatio, ideoque apte adhibetur tamquam tristitiae ac desolationis symbolum. Quae quidem tristitia alte occupare debet cor cuiusque hominis christiani, dum recolit acerbum illud Domini sui funus, quod et ipse sol, abscondendo lumen suum, modo suo planxit, iuxta illud Evangelistae[3]: *A sexta aute mhora, tenebrae factae sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Sed et vera Christi charitas iubet nos dolere et tristitiam concipere pro animabus illorum, quibus licet in gratia quidem Dei decesserint, aliquid tamen adhuc remanet in purgatorio luendum de poena peccatis debita.

ARTICULUS IV. — *Utrum convenienter ordinentur ea quae circa hoc sacramentum dicuntur.*

1. — Ratio articuli. — Quamquam essentia sacrificii eucharistici consistat, ut dictum est, in specierum panis et vini distincta consecratione, cui accedit, tamquam pars integralis, earumdem specierum sumptio, tamen ad rei

1. Col. III, 3. — 2. 2 Cor., VII, 10. — 3. Matth., XXVII, 45.

tam altae, quae totum salutis nostrae mysterium complectitur, celebrationem solemniorem reddendam, Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, verbis a Domino nostro institutis plures, iam inde ab aevo apostolico, adiecit orationes, atque sacras caeremonias, veritatis simul ac pietatis plenas, quarum complexus varios liturgicos ritus constituit, qui in sua mira varietate unius eiusdemque sacrae actionis rationem demonstrant. Inter quos omnes ritus, ille eminet quo Romana utitur Ecclesia: quem hic quidem, quantum ad orationes, in subsequenti vero articulo, quantum ad actiones, duce S. Thoma, et fere eius verbis utentes, expendemus [1].

2. — **Praeparatio.** — Imprimis vero, cum scriptum sit[2]: *Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei,* et[3]: *Ante orationem, praepara animam tuam,* hinc ante huius mysterii celebrationem primo praemittitur praeparatio quaedam ad digne agenda ea quae sequuntur. Haec autem praeparatio quatuor partes habet. — Prima pars est *laus divina,* quae fit in introitu, secundum illud[4]: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam ubi salutare Dei;* et sumitur hoc ut pluries de psalmis, vel saltem cum psalmo cantatur, quia ut ait auctor libri de *Ecclesiastica Hierarchia*[5], psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in Sacra Scriptura continetur. — Secunda pars continet commemorationem *praesentis miseriae,* dum misericordia petitur, dicendo ter quidem pro persona Patris: *Kyrie eleison,* ter autem pro persona Filii, his verbis: *Christe eleison,* et ter pro persona Spiritus Sancti, cum subditur: *Kyrie eleison,* contra triplicem miseriam, scilicet, ignorantiae, culpae et poenae, vel ad significandum quod omnes personae sunt in se invicem. — Tertia pars commemorat *caelestem gloriam,* ad

1. 3, Quaest. LXXXIII, art. 4. — 2. Eccle., IV, 17. — 3. Eccli., XVIII, 23. — 4. Ps., XLIX, 23. — 5. C. 3.

quam tendimus post praesentem vitam et miseriam, dicendo: *Gloria in excelsis Deo;* quod cantatur in festis in quibus commemoratur caelestis gloria, intermittitur autem in officiis luctuosis, quae ad commemorationem miseriae pertinent, scilicet quotiescumque in officio omittitur *Te Deum,* quando etiam in fine missae non dicitur *Ite, missa est,* ut habetur in versu:

Non est Glo *sine* Te*; sine* Te *non dicitur* Ite.

Denique quarta praeparationis pars continet *orationem,* quam sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur pii fideles tantis mysteriis frui.

3. — **Instructio fidelis populi.** — Secundo, praemittitur instructio fidelis populi, quia hoc sacramentum est mysterium fidei, ut supra habitum est [1]; quae quidem instructio fit et dispositive, et perfective. — *Dispositive* quidem instruitur fidelis populus per *doctrinam prophetarum et Apostolorum,* quae in Ecclesiis legitur per lectores et subdiaconos; post quam lectionem cantatur a choro *graduale,* quod significat profectum vitae, et *alleluia,* quod significat spiritualem exultationem, vel *tractus,* in officiis luctuosis, qui significat gemitum spiritualem: haec enim consequi debent in populo ex praedicta doctrina. — *Perfecte* autem instruitur fidelis populus per *doctrinam Christi* in Evangelio contentam, quae a summis ministris legitur, scilicet a diaconibus. Quia vero Christo credimus tamquam divinae veritati, secundum illud [2]: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* hinc lecto Evangelio, *symbolum fidei* cantatur, in quo populus ostendit se per fidem doctrinae Christi assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis de quibus fit aliqua mentio in symbolo, sicut in festis Christi et Beatae

1. Tr. de SS.ma Eucharistia, Quaest. LXXVIII, art. 3, n. 7, p. 335. — 2. Io., VIII, 46.

Virginis, et Apostolorum, qui hanc fidem fundaverunt, et in aliis huiusmodi festivitatibus [1].

4. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti quod baptismus dicitur specialiter fidei sacramentum; unde ea quae pertinent ad instructionem fidei, scilicet doctrina apostolica et evangelica, magis deberent circa baptismum tradi, quam circa missae celebrationem, — *respondetur* quod instructio fidei est duplex: una quae fit noviter imbuendis, scilicet catechumenis, et talis instructio fit circa baptismum; alia autem est instructio qua instruitur fidelis populus qui communicat huic mysterio, et talis instructio fit in celebratione sacrificii missae; et tamen ab hac instructione non repelluntur etiam catechumeni et infideles, qui nonnisi ante offertorium dimitti olim consueverant, quando scilicet fiebat missa catechumenorum [2].

Sic igitur populo iam praeparato et instructo, consequenter acceditur ad celebrationem mysterii, quod quidem et offertur ut sacrificium, et consecratur et sumitur ut sacramentum. Unde primo peragitur *oblatio;* secundo, *consecratio* materiae oblatae; tertio, eiusdem *perceptio.*

5. — Oblatio. — Circa oblationem, duo aguntur: scilicet laus populi in cantu offertorii, et oratio sacerdotis, qui petit ut oblatio populi Deo sit accepta. Unde dixit primo David [3]: *Ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec; et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria;* et postea oravit, dicens: *Domine Deus,... custodi hanc voluntatem.*

6. — Consecrationem praecedentia. — Deinde, circa consecrationem, quae supernaturali virtute agitur, primo

1. Vide Rubricam Miss. Rom. Tit. IX. Circa usum cantandi Symbolum in missa, cf. opusc. n. *De Spiritus Sancti a Filio processione*, Historica disquisitio. Romae, 1898. — 2. Ad 4m. — 3. 1 PARALIP., XXIX, 17.

excitatur populus ad devotionem in *praefatione;* unde et iubetur *sursum corda* habere ad Dominum. Nam, in hoc solemni mysterio, et maior devotio requiritur quam in aliis sacramentis, propter hoc quod in hoc sacramento totus Christus continetur, et etiam communior, quia in hoc sacramento requiritur devotio totius populi christiani pro quo sacrificium offertur, et non solum devotio percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis; *ideo, et sacerdos,* ait S. Cyprianus [1], *ante orationem, praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo:* SURSUM CORDA; *ut dum respondet plebs:* HABEMUS AD DOMINUM, *admoneatur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere* [2]. — Finita praefatione, populus devote laudat divinitatem et humanitatem Christi: divinitatem, dicens cum Angelis: *Sanctus, sanctus, sanctus;* humanitatem vero, dicens cum pueris: *Benedictus, qui venit,* etc.

7. — Canon missae. — Deinde, per haec verba: *Te igitur,* etc. incipit Canon missae, quo nomine intelligitur praescripta verborum forma, qua tamquam regula, in hoc mysterio conficiendo utendum est. De hoc Synodus Tridentina ait [3], quod Ecclesia catholica *multis ante saeculis eum instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* — Ubi notari iubet Sylvius [4], Canonis institutionem, etsi divina non sit, sed ecclesiastica, perantiquam tamen esse, ut proinde non immerito dicat S. Isidorus [5], ordinem missae primum

1. L. de Orat. Dom. ante fin. Opp. Oxonii, 1700, p. 107. — 2. Ad 5m. — 3. Sess. XXII, cap. 4. — 4. In 3. Quaest. LXXXIII, art. 4. — 5. L. I, de Officiis, cap. 15. De Canonis antiquitate atque successivis additionibus copiose disserunt eruditi, quos theologum iuvat persequi sub luce eorum quae hic traduntur.

a S. Petro esse institutum, quoad scilicet aliquod eius initium; cui postmodum diversi Pontifices aliqua addiderunt, quos inter eminent sancti Leo et Gregorius, quorum hic fuit ultimus ex eis qui Canoni aliquid addiderunt. Probatur autem signanter Canonis antiquitas ex eo quod in eo martyrum tantum, non vero confessorum, quorum memoria nonnisi serius in Ecclesia recoli consuevit, mentio fit. — Igitur sacerdos Canonem incipit, Deum exorando, ut super oblata dona benedictionem suam effundat.

8. — **Commemoratio.** — Postea sacerdos secreto *commemorat,* illos pro quibus hoc sacrificium offertur, primo quidem universalem Ecclesiam, et eos qui in sublimitate sunt constituti [1], et specialiter quosdam qui offerunt, vel pro quibus offertur; secundo, Sanctos, quorum patrocinia implorat pro praedictis, cum dicit: *Communicantes et memoriam venerantes;* demum petitionem concludit, orans Deum ut oblatio ista sit illis, pro quibus offertur salutaris.

9. — **Consecratio.** — Deinde accedit sacerdos ad ipsam consecrationem, in qua *primo* petit *effectum* consecrationis cum dicit: *Quam oblationem tu, Deus*, etc. Enimvero, efficacia verborum sacramentalium impediri non potest, nisi per intentionem sacerdotis; qua posita semper consequuntur suum effectum. Attamen minime inconvenit ut illud a Deo petamus quod certissime scimus ipsum esse facturum, sicut suam clarificationem Christus ipse petiit [2]. Nec tamen videtur ibi sacerdos orare ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa; unde signanter dicit: *Ut* NOBIS *corpus et sanguis fiat.* Et hoc significant verba quae praemittit, dicens: *Hanc oblationem facere digneris benedictam,* id est, per quam benedicamur, scilicet per gratiam; *adscriptam,* id

1. 1 TIM., II, 2. — 2. IO., XVII, 5.

est per quam in caelo adscribamur; *ratam*, id est per quam de visceribus Christi esse censeamur; *rationabilem*, id est per quam a bestiali sensu eruamur; *acceptabilem*, ut qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius unico Filio evadere possimus [1].

Secundo, sacerdos consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit: *Qui pridie*, etc. — Circa quod sedulo advertendum est, quod quaedam dicuntur circa consecrationem huius sacramenti, quae in Evangeliis non ponuntur: sic, non legitur in Evangelio quod Christus, consecrando panem, oculos ad caelum levaverit; similiter etiam in Evangeliis dicitur: *Accipite et comedite*, non vero *manducate*, nec ponitur *omnes*, quemadmodum in missali legitur: hic nimirum, attendendum est ad id quod apud S. Ioannem legitur [2], multa esse a Domino facta vel dicta, quae Evangelistae non scripserunt; inter quae fuit hoc quod Dominus in caena oculos levavit in caelum, quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit. Rationabile enim videtur, ut qui in multiplicatione panum [3], et in suscitatione Lazari [4], et in oratione quam pro discipulis fecit [5], oculos levavit ad Patrem, in huius sacramenti institutione multo magis hoc fecerit.

Enimvero, Christus Dominus hoc in arduis faciebat, gratias agens, et exemplum nobis ad Deum recurrendi praebens, secundum illud [6]: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis.* Quia autem hoc sacramentum arduissimum est, ideo colligi potest quod in illius institutione oculos ad Patrem elevaverit, gratias agens Patri de reparatione humani generis quae hoc sacramento figuratur, et nobis ostendens virtute divina confici sacramentum [7].

Quod autem dicitur, *manducate*, et non *comedite*.

1. Ad 7m. — 2. C. XX. 30, 31. — 3. Matth., XIV, 19; Marc. VI 41; Luc. IX, 16. — 4. Io., XI, 41. — 5. Ibid. XVII. 1. — 6. Ps. CXXII, 1. — 7. 4, Dist. VIII, Quaest. II, art. 1, sol. V.

non differt quantum ad sensum; nec multum refert quid dicatur, praesertim cum verba illa non sint de forma. Quod autem additur, *omnes,* intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimatur, quia ipse dixerat [1]: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,... non habebitis vitam in vobis* [2].

Tertio, sacerdos excusat praesumptionem qua teneri videtur, dum rem tam sublimem audet peragere: quod quidem se facere protestatur, per obedientiam ad mandatum Christi; quocirca dicit: *Unde et memores,* etc.

Quarto, petit ut hoc sacrificium quod peragitur Deo sit acceptum, cum dicit: *Supra quae propitio,* etc. Orat autem sacerdos ut sacrificium istud acceptum habeatur penes Deum, eo modo quo accepta extiterunt sacrificia Abel, Abrahae et Melchisedech: licet enim sacrificium novae Legis ex seipso praeferatur omnibus antiquis sacrificiis, tamen etiam sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo sacerdos ut sic hoc sacrificium acceptetur a Deo ex devotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo [3].

Quinto, petit huius sacrificii et sacramenti effectum; primo quidem, quantum ad ipsos sumentes, cum dicit: *Supplices te rogamus,* etc; secundo, quantum ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cum dicit: *Memento etiam, Domine,* etc.; tertio specialiter, quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cum dicit: *Nobis quoque peccatoribus,* etc.

Circa quae duo specialiter observanda veniunt. Primo, quando sacerdos dicit: *Iube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum,* non petit quod in caelum deferantur vel species sacramentales, vel corpus Christi, quod ibi esse non desinit; sed petit hoc pro corpore mystico, quod in hoc sacrificio significatur. Petit videlicet ut angelus assistens divinis myste-

1. Io., VI, 54. — 2. Ad 2m. — 3. Ad 8m.

riis Deo repraesentet orationes sacerdotis et populi, secundum illud [1]: *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu angeli coram Deo.* Sublime autem altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus, cuius participationem petimus; de hoc enim altari dicitur [2]: *Non ascendes per gradus ad altare meum,* id est, in Trinitate gradus non facies, ut dicitur in Glossa. Vel per angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilii angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri coniungit et Ecclesiae triumphanti: et propter hoc etiam missa nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem; vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo: unde, concludit S. Thomas, diaconus in fine missae, populum in festivis diebus licentiat, dicens: *Ite, missa est,* scilicet hostia ad Deum per angelum, ut scilicet sit Deo accepta [3]. — Alterum quod observari oportet, est quod quia Eucharistia est sacrificium totius ecclesiasticae unitatis, ideo specialiter in eo debet fieri mentio de omnibus quae pertinent ad salutem totius Ecclesiae; unde, dum in celebratione aliorum sacramentorum non fit oratio nisi pro salute suscipientium, in hoc sacrificio e contra fit communis oratio pro salute non solum fidelium viventium, sed etiam pro salute omnium fidelium defunctorum [4].

10. — Perceptio sacramenti. — Deinde gradus fit ad perceptionem huius sacramenti. Et primo quidem populus praeparatur ad percipiendum, deinde sequitur ipsa perceptio sacramenti. — Praeparatio vero fit, primo, per orationem communem totius populi, quae est oratio do-

1. Apoc., VIII, 4. — 2. Exod., XX, 26. — 3. Ad 9m. At prae oculis specialiter habenda sunt tum ea quae de epiclesi disseruimus, tum quae de etymologia nominis *missa* tradunt eruditi. Vide tr. de SS.ma Eucharistia Quaest. LXXVIII, art. 1, nn. 13, 14, pp. 314, 315; item supra, Prooemium, n. 5, p. 7. — 4. Ad 3m.

minica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari [1], et etiam per orationem privatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cum dicit: *Libera nos, quaesumus, Domine,* etc.; secundo, populus praeparatur per pacem, quae datur dicendo: *Agnus Dei*, est enim hoc sacramentum unitatis et pacis: in missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur, non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. — Deinde sequitur ipsa perceptio sacramenti, sacerdote primum percipiente, et postmodum aliis dante; quia, ut legitur in libro *Ecclesiasticae Hierarchiae* [2], ille qui aliis divina tradit, debet ipse primo particeps esse.

11. — Gratiarum actio. — Completo iam sacrificio, tota missae celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii, quod significat cantus post communionem; sacerdote vero per orationem gratias offerente, quemadmodum Christus Dominus, celebrata iam coena cum discipulis, gratias egit Patri, hymnum dicens [3].

12. — Orationes communes et personales, publicae et secretae. — Ultimo, advertendum est, sapienter institutum fuisse, ut orationum aliquae communiter ab omnibus vel a pluribus dicantur, aliquae vero a solis ministris vel etiam a solo sacerdote; aliae iterum proferantur alta voce, aliae vero secrete. — Nimirum, in hoc sacramento, tanguntur ea quae pertinent ad totam Ecclesiam; et ideo quaedam dicuntur a choro, quae pertinent ad populum, quorum quaedam chorus totaliter prosequitur, quae scilicet toti populo inspirantur: quaedam vero populus prosequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit, in signum quod talia pervenerunt ad populum ex revelatione di-

1. Cf. tr. de SS.ma Eucharistia. p. 476, n. 5. — 2. C. 3. — 3. Matth., XXVI, 30.

vina, sicut fides, et gloria caelestis: et ideo sacerdos inchoat symbolum fidei, et *Gloria in excelsis Deo.* Quaedam vero dicuntur per ministros, sicut doctrina veteris et novi Testamenti, in signum quod per ministros a Deo missos est doctrina haec populis annuntiata. Quaedam vero sacerdos solus prosequitur, quae scilicet ad proprium officium sacerdotis pertinent, ut scilicet dona, et preces offerat pro populo [1]. — In his tamen quaedam dicit publice, scilicet quae pertinent et ad sacerdotem et ad populum, sicut sunt orationes communes: quaedam vero pertinent ad solum sacerdotem, sicut oblatio et consecratio; et ideo quae circa haec sunt dicenda, occulte a sacerdote dicuntur: in utrisque tamen excitat attentionem populi, dicendo: *Dominus vobiscum,* et exspectat assensum dicentium: *Amen;* et ideo etiam in his quae secrete dicuntur, publice praemittit: *Dominus vobiscum,* et subiungit: *Per omnia saecula saeculorum;* vel secrete aliqua sacerdos dicit, in signum quod circa Christi passionem discipuli non nisi occulte confitebantur Christum [2].

13. — Congrue ordinatum est ut plura in Missa submissa voce proferantur. — Porro, quod ritus Ecclesiae Romanae, quo ordinatur ut pars canonis et verba consecrationis submissa voce proferantur, non sit, ut conclamarunt Novatores, utcumque damnandus, ostenditur, primo, ex hoc Concilii Tridentini [3]: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in missa pronunciarentur, instituit* [4]. Deinde idipsum eruitur ex eo quod antiquitus quaedam secreto pronuntiari solebant, ut patet ex liturgiis sanctorum Basilii et Chrysostomi. Quinimmo idipsum ex S. In-

1. HEBR., V, 1, seqq. — 2. S. THOM., loc. cit., ad 6m, ad litt. — 3. Sess. XXII, cap 5. — 4. Cf. Ibid., can. 9.

nocentio I eruitur qui, loquens de mysteriis missae, ait [1]: *Post omnia quae aperire non debeo, pax est necessario indicenda:* nimirum, si omnia clara voce dici consuevissent, nihil secretum fuisset, nihil quod litteris committi non potuisset.

Sed et Christus in Cruce seipsum offerens, quaedam oravit in silentio: ut enim advertit Sylvius [2], septem dumtaxat sententiae referuntur, quas toto quo pependit tempore, alta voce pronuntiavit. — Ceterum, quod quaedam submissa voce recitentur, ad faciliorem mysteriorum meditationem ac reverentiam pertinet. Ad rem S. Basilius [3]: *Qui in primordiis Ecclesiae certos ritus praescripserunt, Apostoli et Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur.*

Ex his clare eruitur, non immerito damnatam fuisse uti *temerariam, in Ecclesiam contumeliosam, faventem haereticorum in eam conviciis,* propositionem qua Synodus pistoriensis cupere se ostendebat, ut elata voce liturgia proferatur [4].

14. — **Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti Christum, in ultima coena, non per silentium, sed, ut Paulus explicat, per annuntiationem, hoc mysterium celebrasse, aliunde quod in coena fecit, iussit in sui memoriam fieri, — *respondetur* Christum consecrationis verba protulisse, non solum ut consecraret, sed etiam ut Apostolos suos doceret ritum consecrandi, qua de causa clare loqui debuit, sicut etiam clara voce illa verba profert episcopus,

1. Epist. I, cap. I. — 2. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 4. — 3. L. de Spiritu Sancto, cap. 27 circa med. Opp. Parisiis, 1637, t. II, p. 352. — 4. Prop. 33a. Cf. BELLARMIN., De Euchar., l. VI, qui est II de Sacrif., c. 12. n. 5. Cf. etiam iam cit. LE BRUN, Explic. de la Messe, vol. VI, 15me Diss. *Sur l'usage de réciter en silence une partie des prières de la messe dans toutes les églises et dans tous les siècles.*

quando novos sacerdotes ordinat. Quod autem iussit ea fieri quae ipsemet fecerat, substantiam respicit rerum agendarum, relicta Ecclesiae potestate id, quantum ad accidentalia, statuendi, quod magis conveniret [1].

ARTICULUS V. — *Utrum missa debeat celebrari lingua vulgari.*

1. — Ratio articuli. — Novatores, qui Ecclesiae crimini verterunt quod quaedam in missa submissa voce recitat, eidem quoque calumniati sunt, quod in sacrificando ignota lingua utitur, quasi simplici populo hoc solatium eripiat, iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, ut habetur in proscripta propositione Quesnelli [2]. Quam sententiam resumpsit atque patrocinata est pseudosynodus Pistoriensis, cum cupere se ostendit *ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et alta voce proferendo* [3]. — Contra quos, sit

2. — PROP. — **Non licet, nec expedit, lingua vulgari missam celebrare.**

Haec propositio ita continetur in Concilio Tridentino [4]: *Etsi missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubicumque cuiusque ecclesiae antiquo et a sancta Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, probato*

1. Alias difficultates solutas invenies apud PERRONE, Tr. de Eucharistia, c. IV, prop. 2. — 2. Est prop. 86a damnata in Constitut. *Unigenitus*. DENZ.-B., n. 1436. — 3. Prop. 33a, damnata a Pio VI, in Constitut. *Auctorem fidei*. DENZ.-B., n. 1533. Cf. Ibid., prop. 66a. DENZ.-B., n. 1566. — 4. Sess. XXII, cap. 7.

ritu, ne oves Christi esuriant, ...mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quae in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festivis. Et rursus: [1] *Si quis dixerit,... lingua tantum vulgari missam celebrari debere, A. S.* Accedunt damnatae propositiones Quesnelli et Synodi pistoriensis, de quibus supra. — Ex hoc autem quod in Tridentino Concilio damnantur dicentes lingua *tantum* vulgari missam celebrari debere, non debet inferri licere aut expedire ut *etiam* lingua vulgari missa celebretur; sed ibi respectus habetur ad protestantium positionem, qui omnem linguam, praeter vulgarem, in missae celebratione excludebant.

3. — **Prob. ratione theol.** — Cum vera Christi Ecclesia per orbem diffusa una sit, conveniens est, ad unitatem in ea servandam, ut divina officia non lingua vulgari, id est, unius populi propria, sed lingua multis communi persolvantur: sic enim et ostenditur unam esse totius christiani populi fidem, et praecluditur aditus dissensionibus atque schismatibus, quae ex varietate linguarum facile oriri possent. — Praeterea, admissa varietate linguarum in divinis officiis, tolleretur ecclesiarum communicatio; nec sacerdotes qui unam solum vel alteram linguam callent, possent in aliis ecclesiis celebrare. — Ulterius, cum linguae vulgares mutabiles sint, oporteret frequenter mutare verba sacrificii: quae enim vocabula uno tempore vulgaria sunt, alio tempore talia esse desinunt. Recte ergo factum est, ut in Ecclesia consuetudo introduceretur divina officia lingua non vulgari celebrandi.

Hanc autem consuetudinem ab Apostolis descendere,

1. Ibid., can. 9.

inferri potest illo S. Augustini loco [1]: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Adde, quod, ut ait idem Doctor Hipponensis [2] *quod tota per orbem frequentat Ecclesia,... quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.*

4. — Confirmatur. — I. Idipsum clare patescit, si consideretur deesse in linguis vernaculis illam dignitatem quae linguis ab Ecclesia adhibitis naturaliter inest: maiestas autem et solemnitas rerum quae aguntur requirunt linguam magis venerandam et gravem. Quocirca si sacra liturgia lingua vernacula perageretur, vel risus in audientibus, ob styli diversitatem, ut scite advertit Perrone [3], non infrequenter excitaretur, vel contemptus interdum sacris mysteriis adferretur.

II. Accedit, nullam linguam adeo vulgarem esse, ut in omnibus villis ac pagis eiusdem regionis vernacula dici possit: unde si, ut adversarii volunt, sacrificium eucharisticum lingua tantum vulgari celebrari deberet, tot liturgicae fieri deberent versiones, quot sunt linguarum dialecti, cum linguam alicuius regionis propriam rustici saepe non intelligant [4].

III. Denique ipsa adversariorum agendi ratio idipsum confirmat; licet enim protestantes, generaliter loquendo, contra morem Romanae Ecclesiae sacra mysteria latina lingua peragendi, invexerint usum, vel potius abusum linguae vernaculae, plures tamen ex ipsis meliori ducti consilio quod ipsis experientia suggesserat, a sua sententia aliquantisper recessisse visi sunt, dum ultro faterentur derelictionem linguae latinae in sacris

1. Lib. IV contra Donat., c. 24, t. IX, col. 140, n. 31. — 2. S. Augustin., Epist. LIV ad Ianuar. — 3. Tr. de Eucharistia.. Cap. IV de Idiomate, etc., Prop. I,n. 299. — 4. Loco cit.

peragendis utilitatibus ex usu linguae vulgaris provenientibus aegre compensari [1].

5. — Verba Benedicti XIV. — Notanda omnino sunt hac super re verba doctissimi Benedicti XIV: *Concludendum,* ait [2], *constantem firmamque disciplinam esse, ne missae idioma mutetur, etsi mutet lingua vernacula; sed eo sermone missa celebretur quo celebrata est ab initio, etiamsi ea lingua exoleverit apud vulgus, eiusque peritiam viri docti dumtaxat habeant. Est autem Apostolicae Sedis in recenti populorum conversione ad fidem, pro variis circumstantiis, vel permittere vel prohibere vernaculae linguae usum in divinis officiis celebrandis; sed vere affirmari potest, Sanctam Sedem propensiorem esse in illam partem, ut ex recens conversis ad fidem, habiliore qui sint ingenio, seligantur, et latinis potius litteris erudiantur, quam ut facultas concedatur adhibendi in missae celebratione vulgarem linguam.*

6. — Solvuntur difficultates. — I. Ex Sacra Scriptura. — Scribit Apostolus [3]: *Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nam si orem lingua* (scilicet peregrina), *spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente. Ceterum, si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem gratias agis, sed alter non aedificatur.*

Resp. Apostolus ibi non agit de divinis officiis, uti patet

1. Inter adversarios usus linguae latinae in liturgia, generaliter loquendo, adnumerari debent haeretici, schismatici et rationalistae ; sic, verbi gratia, praeter protestantes, hostes huius linguae fuere albigenses iansenistae, iosephistae et sic dicti veteres-catholici. — 2. De sacr. missae sacrif., l. II, c. II, n. 14. — 3. 1 Cor., XIV, 13, seqq.

ex contextu, sed de privatis canticis et precibus, quae a fidelibus olim, ex peculiari Spiritus Sancti instinctu, in conventibus recitabantur, cum unusquisque in medium id proferebat, quod per charisma linguarum acceperat. Sensus ergo est: si orem lingua mihi peregrina aliisque ignota, spiritus quidem meus, id est affectus orat, elevatur enim in Deum, sed mens, quae est pars intellectiva, manet sine proprio fructu, qui est intelligere et intelligendo refici; nec potest meditari aut contemplari res per verba significatas. Et si benedixeris spiritu, id est, si Deum laudaveris, eique gratias egeris, ex bono quidem affectu, at tamen lingua ignota, is qui sustinet locum idiotae, seu populi, quomodo respondebit, *amen*, approbando quod dicis?

Igitur Apostolus ibi corrigit abusum Corinthiorum, qui de accepto linguarum dono inaniter gloriantes, preces atque cantica pronuntiabant lingua tam sibi quam adstantibus peregrina et ignota, sic inducentes confusionem et perturbationem in Ecclesia. Sed nec potest absolute dici ipsimet populo ignota illa lingua, quam Ecclesia in liturgia atque precibus adhibet, cum per pastorum instructiones ac explanationes, sufficienter innotescere possit id quod in illa lingua significatur; unde ex citato Apostoli loco inferri nequit missam debere dici lingua vulgari, cum orationum atque laudum illarum nulla daretur explicatio.

Instabis. — Si, ex mente Apostoli, ideo reprehendebantur cantica et laudes lingua ignota olim prolata, quod populus respondere non posset *amen*, id est, verum est, a pari, minister et populus in missa nihil respondere possunt, si illa lingua eisdem ignota celebretur.

Resp. Nego paritatem: etsi enim forte populus et minister non intelligant verba, sciunt tamen id esse sanctum, quod significatur, utpote iamdudum ab Ecclesia probatum; deinde, in promptu libros habent, in quibus verba illa lingua vernacula translata leguntur; praeterea, ea ad quae respondet minister pauciora sunt, quam ut pro-

pter illa debeat idioma totius missae mutari. Attamen id signanter notari debet, primarium divinorum officiorum finem non esse populi instructionem, sed cultum et laudem Dei: e contra, praecipuus finis illorum canticorum erat populi instructio atque adstantium consolatio, dicente Apostolo[1]: *Tu quidem bene gratias agis, sed alter non aedificatur.*

Urgebis. -- Ecclesia id in celebratione mysteriorum facere debet, quod ipsemet Christus peregit. Atqui Christus, in celebratione sacrificii eucharistici, usus est lingua apud populum iudaicum vulgari. Ergo idipsum Ecclesia praestare debet.

Resp. *Dist. mai.:* attenta rerum gestarum substantia, *conc.;* attentis accidentibus, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Quando Dominus noster hoc mysterium instituit, non determinavit qua lingua esset utendum, sed id reliquit determinandum Ecclesiae auctoritati, cuius etiam dispositioni plura circa sacramentorum administrationem subsunt. Quod autem Dominus lingua Apostolis nota usus fuerit, hoc est quia necessarium erat ut ipsimet huius sacrificii institutionem, quod usque ad finem mundi celebrandum erat, probe intelligerent.

7. — II. **Ex ratione theol.** — Si missa lingua vernacula celebraretur, indocti et rudes orationum sensum assequerentur, et sic plurimum aedificarentur.

Respondet opportune Sylvius[2] quod indocti et rudes, tametsi verba utcumque intelligerent, sensum tamen orationum non propterea assequerentur; sic enim plura petuntur in psalmis, prophetiis, canticis et epistolis apostolicis, in quibus multa sunt difficilia intellectu, quae cum intelligere fideles non possent, carnali suo captu sensus alienos animo volverent, erroresque confingerent, sicut ex promiscua Bibliorum in vulgari lingua lectione conti-

1. 1 Cor., XIV, 17. — 2. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 5.

gisse experientia notum est. His igitur ac similibus causis dici potest mota sancta mater Ecclesia, cum missam aliaque divina officia linguis mortuis celebrari voluerit. Ex quibus duo eminent idiomata, latinum scilicet et graecum, quibus tamen Ecclesia admiscuit aliquid hebraicae linguae; sive quia tres istae linguae titulo Crucis Domini fuerunt honoratae, sive quia lingua latina est usitata apud eruditos in Occidente, graeca vero et hebraica in Oriente.

Instabis. — Linguae orientales, in divinis officiis adhibitae, vulgares sunt; lingua vero latina olim et ipsa vulgaris fuit.

Resp. Linguae quarum usus est in Oriente in divinis officiis celebrandis, non sunt recentes et populares, sed antiquae ac solis eruditioribus viris cognitae. Quod autem ad latinam linguam attinet, iamdiu desiit esse vulgaris, ut patet ex S. Thoma, dicente [1] quod *in Ecclesia benedictiones et alia fiant non vulgari lingua, sed latina.* Sed et constat olim in Africa officia divina celebrari consuevisse lingua latina, uti patet ex sanctis Cypriano [2] et Augustino [3], ubi asserunt solere in missa dici *Sursum corda: habemus ad Dominum; gratias agamus Domino Deo nostro: dignum et iustum est* [4]. Porro latina lingua ibi vulgaris non erat.

8. — **III. Ex historia ecclesiastica.** — Summi Pontifices Adrianus II, Ioannes VIII et Innocentius IV permiserunt Illyricis ut vernacula lingua uterentur in sacris faciendis, quod Paulus V Sinensibus concessit.

Resp. Id fecerunt de plenitudine potestatis suae Ro-

1. Comment. in 1 Ep. ad Cor., c. XIV, lect. 3 et 5. — 2. Serm. de Orat. Domin. ante fin., p. 107. — 3. Epist. LXXXIV, ad Novat., n. 2, t. II. col. 206. Sermo LXVIII, *Audivimus*, sup. verb. *Confiteor tibi*, cap. V, t. V, col. 379, n. 5; alias XXI de diversis; et L. de dono perseverantiae, c. 13., t. X col. 839, n. 33. — 4. Cf. S. Augustin., in Exposit. inchoata super Epist. ad Roman., t. III, col. 933, n. 14; S. Hieronym., l. II in Epist. ad Gal., etc.

mani Pontifices, cum toto regno ad fidem converso, inveniri non possent qui pro omnibus latine celebrarent: generaliter vero, cessante hac necessitate, populi illi consuetudinem Ecclesiae Romanae amplexi sunt. — Ubi notabimus, cum Perrone [1], ex his concessionibus nihil inferri posse contra Concilii tridentini decretum: in hoc enim quid, ceteris paribus, magis expediat, decernitur; allati vero casus ostendunt quid in extraordinariis circumstantiis fieri oporteat. Aliud quippe est permittere alicui genti vel regno ut, cum primum ad fidem convertuntur, adhibere possint in sacris linguam sibi propriam, aliud vero ordinare ut receptus ac tot saeculorum usu consecratus mos sacra mysteria lingua antiqua peragendi deseratur: et primum quidem iustis de causis Romani Pontifices praestiterunt: alteri vero fortiter obstiterunt.

9. — Scholion. — Idiomata quibus, Ecclesia probante, licet sacrosanctum missae sacrificium celebrare, sunt, praeter latinum et graecum, syriacum, chaldaicum, arabicum, aethiopicum, coptum, armenum, romanense, ruthenum, bulgarum et slavonicum seu glagoliticum. Hoc ultimum idioma a Ioanne VIII sub finem saeculi noni slavis Moraviae, a sanctis Cyrillo et Methodo ad Ecclesiam conversis, quo facilius a schismate graeco servarentur immunes. Romanense idioma non est ab Ecclesia approbatum, sed solummodo toleratum. Ex hisce idiomatibus, tamquam facile princeps, eminet latinum, quod Ecclesiae lingua propria habetur, et per quod in toto terrarum orbe fideles sacrificium laudis unius labii Deo offerant [2]. Ceterum, graecum quo Melchitae utuntur, et similiter russi et georgiani, non est graecum modernum, sed antiquum,

1. Tract. de Euchar., cap. IV de Idiomate, etc., prop. I. — 2. De hoc argumento, vide egregie conscripta a Nic. Gihr, Le saint Sacrifice de la Messe, t. I, p. 358. Vide etiam op. n, De stabilitate et progressu Dogmatis, 2a ed., p. 174, seqq.

quod a vulgo non amplius intelligitur. Sic pariter armeni, syri et aegyptii in respectivis linguis sacrificium celebrant, non quales hodie sunt in usu, sed quales antiquitus adhiberi consueverunt.

ARTICULUS VI. — *Utrum ea quae in celebratione huius sacramenti aguntur, sint convenientia.*

1. — Ratio articuli. — Absoluto sermone de iis quae in missae sacrificio dicuntur, superest ut ad eas caeremonias, mentis considerationem convertamus, quae, ex institutione Ecclesiae, in eodem peragi consueverunt. Pertinent autem huiusmodi caeremoniae ad ritus liturgicos, qui diversi pro diversis populis, probante Ecclesia existunt: quos ritus novatores, initio quidem conviciis ac probris insectati sunt, postmodum autem, saniori ducti consilio, partialiter saltem susceperunt [1]. Nos vero, in hoc argumento evolvendo, primo quidem generaliter legitimitatem ac sanctitatem harum caeremoniarum vindicabimus; secundo autem aliquid de singulis caeremoniis, quantum instituti nostri natura permittitur, particulariter disseremus.

2. PROP. — **Nihil est in missae caeremoniis, quibus utitur Ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium.**

Haec propositio, quantum ad substantiam, de fide est, cum adversus novatores sanxerit Concilium Tridentinum [2]: *Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis, A. S.*

1. Cf. Card. BONA, Rerum liturgic., l. I, cc. 6 et 7. — 2. Sess. XXII, can. 7.

3. — Traditio. — Imprimis advertendum est quod licet Christus, in Eucharistiae institutione, non legatur ipsemet usus caeremoniis, ex hoc tamen ipso quod Apostolos eorumque successores constituit Ecclesiae suae pastores, facultatem eisdem concessit, ea quae ad fidei utilitatem conducerent, salva sacramentorum substantia, instituendi, ut patet ex Apostolo [1]. Et sic videmus Ecclesiam, inde a sui exordio, opera sanctorum Patrum et Doctorum, liturgias tum in Oriente, tum in Occidente instituisse, in quibus variae caeremoniae descriptae habentur, ad oblationem sacrificii rite perficiendam ordinatae. Id clare evincitur ex operibus vel antiquissimorum Patrum, qui modo unum, modo alterum, ex citatis liturgiis recensent, ut sancti Iustini martyris, Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Cyrilli Hierosolymitani, Basilii, Hieronymi, Augustini, et aliorum. Porro, Ecclesiae consuetudo errare nequit, ait Angelicus [2], utpote a Spiritu Sancto instructa.

4. — Ratio theol. — In sacramentis dupliciter aliquid significatur: scilicet, verbis et factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Porro, in celebratione huius sacramenti, significantur verbis quaedam pertinentia ad passionem Christi, quae repraesentatur in hoc sacramento, vel etiam quaedam pertinentia ad corpus mysticum, quod in hoc sacramento significatur, necnon quaedam pertinentia ad usum huius sacramenti, qui debet esse cum devotione et reverentia. Eadem ratione, in celebratione huius mysterii, quaedam aguntur ad repraesentandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici, et quaedam aguntur pertinentia ad devotionem et reverentiam huius sacramenti [3].

Enimvero, cum ea sit hominis natura, ut per visibilia pietatis ac religionis signa, ad mysteriorum aliqualem

1. 1 Cor., XI, 34. — 2. 3, Quaest. LXXXIII, art. 5, Sed contra. — 3. Ibid., in corp. art.

intelligentiam assequendam assurgat, quis non videat, missae caerimonias, quibus dominica passio necnon mysticum Ecclesiae corpus allegorice repraesentantur, insectari, idem esse ac velle eadem in oblivione poni, ac rerum divinarum cognitionem et amorem exstingui? *Segnius*, equidem, *irritant animum demissa per aures, quam quae sunt oculis subiecta fidelibus.* — Rursus, quo pluris rem aliquam facimus, eo pluribus illam ac amplioribus reverentiae signis solemus prosequi: unde etiam videmus Deum, in veteri Lege, speciali cura ea ordinasse, quae ad ornatum templi, cultum vestium, purificationes, speciales ritus immolandarum hostiarum, lumina eorumque numerum, thymiamata, aliaque id genus bene multa. Igitur multo magis ad novae Legis sacrificium, quod tantae excellentiae est, rite commendandum, necnon ad venerationem erga illud fovendam, decuit certas ab Ecclesia caeremonias institui. — Et nunc pronum est ut de singulis caeremoniis pauca delibemus.

5. — **Ablutio manuum.** — Ablutio manuum fit in celebratione missae propter reverentiam huius sacramenti, et hoc dupliciter: primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis, unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat, manibus etiam corporaliter inquinatis; secundo, propter significationem, quia extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, secundum illud [1]: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet,* et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum: quod etiam significatur per confessionem quae fit ante Introitum missae. — Enimvero haec ablutio, quae missae praeponitur, idipsum significat quod significabat ablutio sacerdotum in veteri Lege; attamen Ecclesia non hoc servat tamquam caerimoniale a veteri

1. Io., XIII, 10.

Lege praescriptum, sed quasi ab eadem Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conveniens; et ideo non eodem modo observatur sicut tunc. Olim enim praescriptum fuerat [1]: *Lavabunt... Aaron et filii eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare;* nunc autem praetermittitur pedum ablutio, et servatur ablutio manuum, quae potest fieri magis in promptu, et quae sufficit ad significandam perfectam mundationem: cum enim manus sit organum organorum, omnia opera attribuuntur manibus; unde dicitur [2]: *Lavabo inter innocentes manus meas* [3].

6. — **Crucesignationes.** — Multiplices vero fiunt crucesignationes a sacerdote, sive supra semetipsum, sive super oblata, sive etiam super corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi: quae omnes ordinantur symbolice ad repraesentandam Christi passionem in Cruce completam et in Eucharistia commemoratam, et quidem respondent variis circumstantiis dominicae passionis [4]. Sed ulterius multiplices istae crucesignationes huc ordinantur, ut detur intelligi, tum consecrationem Eucharistiae, tum acceptationem huius sacrificii ex parte Dei, tum applicationem illius fructus relate ad homines, fieri ex virtute Crucis Christi; unde ubicumque de aliquo illorum fit mentio, sacerdos celebrans crucesignationem adhibet. — Ubi tamen notari oportet, peracta consecratione, qua corpus et sanguis Domini in altari sistuntur, crucesignationes non fieri ad benedicendum et consecrandum, sicut antea, sed solummodo ad commemorandum virtutem Crucis et modum passionis dominicae [5].

7. — **Gesticulationes.** — Circa gesticulationes quas sacerdos in missa celebranda facere debet, ad quas per-

1. Exod., XXX, 19, 20. — 2. Ps. XXV, 6. — 3. Ad 1m. — 4. Vide 3, Quaest. LXXXIII, art. 5, ad 3m. — 5. Ad 4m.

tinet quod quandoque brachia extendit, manus iungit digitos complicat, seipsum inclinat, multoties se ad populum vertit, et similiter multoties populum salutat, advertendum est, illas ad aliquid repraesentandum fieri. Quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in Cruce. Levat etiam manus orando, ad designandum quod oratio eius dirigitur pro populo ad Deum, secundum illud [1]: *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in caelos;* et rursus de Moyse dicitur [2], quod *cum levaret manus, vincebat Israel.* Quod autem manus interdum iungit sacerdos et se inclinat, est suppliciter et humiliter orantis, et designat humilitatem et obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autem iungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, ut si qua particula digitis adhaeserit, non dispergatur, quod pertinet ad reverentiam sacramenti [3]. Quinquies autem se vertit ad populum, ad significandum quod Dominus die resurrectionis quinquies se manifestavit. Salutat autem septies populum, videlicet quinque vicibus quibus se convertit ad populum, et bis quando se non convertit, scilicet cum ante Praefationem dicit: *Dominus vobiscum,* et cum dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum,* ad designandam septiformem gratiam Spiritus Sancti: episcopus vero celebrans in festis, in prima salutatione dicit: *Pax vobis,* quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus, cuius personam repraesentat praecipue episcopus [4].

8. — **Specierum tractatio.** — Circa specierum tractationem, praecipue consideranda venit fractio hostiae, quae quidem nullam in ipso Christo Domino divisionem inducit, tria autem mystice significat: primo, significat ipsam divisionem corporis Christi, quae facta

1. Thren., III, 41. — 2. Exod., XVII, 11. — 3. Ad 5m. — 4. Ad 6m.

est per vulnera eidem inflicta in passione; secundo, distinctionem corporis eius mystici, secundum diversos status; tertio, distributionem gratiarum ex passione dominica procedentium [1]. Dividitur autem hostia in tres partes: quarum una in calicem missa monstrat Sanctos in gloria plene regnantes, scilicet in corpore et anima; altera comesta signat viventes in terra, qui passionibus adhuc conteruntur, quemadmodum panis comestus conteritur dentibus; tertia vero pars, quae olim servari consueverat, designat Sanctos, quorum corpora in sepulchris iacent: quod metrice sic exprimitur:

Hostia dividitur in partes: tincta beatos
Plene; sicca notat vivos; servata sepultos [2].

Quia vero per calicem, in quem pars hostiae consecratae immittitur, potest significari non solum fruitio beata quae in hoc sacramento praefiguratur, sed etiam ipsa Christi passio, quae etiam repraesentatur in hoc sacramento, ideo per partem in calicem missam, illi quoque possunt significari, qui adhuc participes sunt passionum Christi [3].

9. — **Thurificatio.** — Duplex ratio huius caerimoniae potest assignari. Primo quidem ordinatur ad reverentiam huius sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem. Secundo, pertinet ad repraesentandum effectum gratiae, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, secundum illud [4]: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni;* et a Christo derivatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud [5]: *Odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco;* et ideo,

1. Ad 7m. — 2. Ad 8m. — 3. Ad 9m. — 4. Gen., XXVII, 27. — 5. 2 Cor., II, 14.

undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem [1].

10. — Purificationes. — Cum vinum, ratione suae humiditatis, sit purificativum, ideo sumitur post susceptionem huius sacramenti, ad abluendum os, ne aliquae reliquiae remaneant, quod pertinet ad reverentiam sacramenti; et eadem ratione sacerdos perfundit vino digitos, quibus corpus Christi tetigerat [2].

11. — Ministri. — Cum sacrificium eucharisticum pro toto populo offeratur, hinc statutum est ut non offeratur, nisi saltem unus adsit minister, qui personam totius populi catholici gerit, ex cuius persona minister ille sacerdoti pluraliter respondet: in missis autem solemnibus plures ministri adesse debent [3]. Potest tamen interdum occurrere necessitas sine ministro missam celebrandi, de qua re ex professo agunt rerum moralium tractatores.

12. — Lumina. — Demum cautum est in liturgia, ne sacrosanctum missae sacrificium absque cereis accensis, saltem duobus, celebretur, quae sint ex cera apum opera confecta. Adhibentur autem non solum ad expellendas materiales tenebras, sed etiam ob mysticam significationem. Per cereum enim accensum Christus designatur, propter tria quae in eo sunt: lychnus videlicet significat animam, cera corpus, lumen vero divinitatem [4]; apis vero quae ex floribus materiam colligit ad ceram conficiendam, symbolum est puritatis virginalis carnis Christi, quam traxit de Maria Virgine, operante Spiritu Sancto. *Digna enim virginitas,* ait S. Ambrosius [5], *quae apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens.* Delicatus quoque

1. Ad 2m. — 2. Ad 10m. — 3. Ad 12m. — 4. DURANDUS, Ration. div. offic., l. VI, c. LXXXIX, n. 6. — 5. De virginibus, l. I, c. 8, n. 40. Opp. Mediol. 1877, col. 203.

cerei odor bonum Christi signat odorem, scilicet plenitudinem infinitarum eius perfectionum. Est etiam cerei lumen laetitiae signum; unde testatur S. Hieronymus quod dum legitur Evangelium, faces etiam sole rutilante accenduntur, *non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum* [1]. Denique, per cereos accensos designatur fidei lumen quod in corde nostro et in manibus nostris iugiter ardere debet, iuxta illud S. Petri [2]: *Ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Designatur quoque spes, quae corda nostra ad Deum elevata tenet, dum cerei flamma constanter in altum tendit. Denique, per calorem flammae, designatur charitas cordis, qua totus homo in holocaustum Deo comburitur.

ARTICULUS VII. — *Utrum possit occurri defectibus circa celebrationem huius mysterii occurrentibus.*

1. — Ratio articuli. — Completa non esset praesens quaestio de ritu sacrificii eucharistici, nisi aliquid deliberemus de defectibus quae circa celebrationem huius mysterii possunt occurrere, de qua re abunde providetur in Missali Romano [3], ad tramitem eorum quae accurate disserit S. Thomas [4]. Ex quibus sequentia, quae magis ad propositum nostrum faciunt, excerpemus; advertentes in antecessum, duobus modis posse huiusmodi defectus occurrere: uno modo sic, ut sacrificium irritent; alio modo, sic ut, licet sacrificium perficiatur, aliquid tamen

1. L. contra Vigilant., c. 7, Opp. Venetiis, 1767, t. II, col. 394. — 2. 1 Ep., II, 9. — 3. De defect. in celebratione miss. occurrentibus. — 4. 3. Quaest. LXXXIII, art. 6. S. Doctoris textum, interdum ad litteram, hic referre non pigebit, eo vel magis quod ex eodem depromptae videntur normae in Missali Romano positae.

omittatur eorum quae ex ordinatione Ecclesiae in conficiendo hoc mysterio sunt ordinata.

2. — PROP. — **Sacerdos debet, quantum potest, defectibus occurrere, qui circa celebrationem huius mysterii contingere possunt.**

Exponitur. — Cum celebratio sacrificii eucharistici altissimum actum constituat cultus catholici, hinc debet sacerdos, qui est proprius illius minister, omni diligentia conari ne quid desit eorum quae, sive ad essentiam, sive ad integritatem illius utcumque pertinent. Id autem duobus modis fieri potest: scilicet, uno modo praeveniendo, ne defectus occurrant; alio modo subsequendo, ut scilicet id quod accidit emendetur, vel remedium adhibendo, vel saltem per poenitentiam, ex parte illius qui negligenter erga hoc insigne sacramentum sese gessit. — Requiritur autem aliquid ex parte materiae, aliquid ex parte formae et aliquid ex parte ministri; et quidem aliquando huiusmodi requiritur de necessitate vel validitate sacramenti, aliquando vero solum de liceitate. Prae omnibus autem cavere debet sacerdos, ne unquam imperfectum relinquat sacrificium; sed si quando aliquid desit ad essentiam pertinens, quantum fieri possit, suppleatur: imperfectum enim relinquere hoc sacramentum vel sacrificium, ait S. Thomas, est *immane sacrilegium* [1].

3. — **Quaenam requirantur de necessitate, ex parte materiae, ad sacrificium celebrandum.** — Primo quidem ex parte materiae, requiritur ut sit panis triticeus et vinum de vite, et ut huiusmodi materia consecranda in actu consecrationis sit coram sacerdote. Enimvero, si panis non sit triticeus, vel si triticeo admixtus sit panis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacra

1. 3, Quaest. LXXXIII, art. 6, ad 2m.

mentum. Similiter, si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum [1].

Ceterum, nullimode potest sacrificium missae celebrari absque vino de vite, et quaelibet concessio dicatur a Romanibus Pontificibus in oppositum facta, tamquam spuria habenda est. Huc refert quod narrat Benedictus XIV [2], de quadam Bulla, quae dicebatur ab Innocentio VIII edita, qua Norvegianis sacerdotibus hic Pontifex indulgebat, ut sacrificium altaris sine vino litarent. Cum igitur deprehensum fuisset hanc Bullam a quodam Dominico Viterbiensi et Francisco Maldente confectam, istique fraudis fuissent convicti, poenas flagitii subinde dederunt, cum strangulati primum, dein cremati fuerint [3].

4. — Quaenam requirantur ex parte formae. — Ex parte formae, requiritur ut sacerdos nihil omittat eorum quae ad integritatem verborum in ipsa consecratione pertinent. Si quis enim aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis corporis et sanguinis, et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, sacerdos non conficeret sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret [4].

5. — Quaenam requirantur ex parte ministri. — Ex parte ministri, requiritur imprimis intentio: si enim non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere; item si aliquae hostiae ex oblivione remaneant in altari, quae sacerdotem lateant; item si sacerdos habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non con-

1. Miss. Rom., loco cit. — 2. De Beatif. et Canoniz., l. II, c. 31, n. 2, in fine. — 3. A. D. 1490. — 4. Miss. Rom., ibid.

secrat, quia deest debita intentio. Sufficit autem intentio huiusmodi virtualis; cum sacerdos accedens ad altare intendat facere quod facit Ecclesia, etsi curare debet ut etiam actualem intentionem eliciat.

Secundo, requiritur, ex parte ministri, dispositio animae: scilicet sacerdos celebrans non debet esse suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus: secus conficeret quidem sacramentum, attamen gravissime peccaret, tam propter communionem quam indigne sumeret, quam propter ordinum executionem, quae sibi foret interdicta. Pariter existens in peccato mortali, confessionem praetermittere non debet, nisi ei desit confessoris copia: tunc enim satis erit si conteratur, et cum primum poterit, confiteatur.

Tertio, quod ad corporis dispositionem attinet, minister debet esse ieiunus a media nocte: a quo tempore abstinuisse debet a sumptione vel minimae quantitatis cibi aut potus, etiam per modum medicinae.

Denique attendere debet minister ad debitam dispositionem eorum omnium quae in ministerio requiruntur, nempe ad vasa sacra, ut munda sint et nitida, ad vestes colori diei respondentes, ad tempus et locum celebrationis, et cetera huiusmodi [1].

6. — Quaestio I. — *Quid faciendum, si celebrans advertat hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam?*

Resp. Si id advertat ante consecrationem, tunc remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.

Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur;* et illam priorem, si non

1. Ibid.

sumpsit, sumat post sumptionem corporis et sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam quam consecravit: quia praeceptum de perfectione sacramenti maioris est ponderis, quam quod a ieiunis sumatur.

Quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis et vinum cum aqua; et facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie;* ac statim sumat utrumque, et prosequatur missam, ne sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo.

Demum, si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri: tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo: *Qui pridie quam pateretur,* facta eius prius oblatione[1].

7. — Quaestio II. — *Quid faciendum, si post consecrationem corporis, sacerdos advertat aquam aut vinum non fuisse positum in calice?*

Resp. Si sacerdos, post consecrationem corporis, percipiat aut vinum aut aquam non esse in calice, debet statim apponere et consecrare. Si vero post consecrationis verba perceperit quod aqua desit, debet nihilominus procedere, quia impositio aquae non est de necessitate sacramenti: debet tamen puniri ille ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte.

Si vero percipiat post verba consecrationis, quod vinum non fuerit positum in calicem: si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet, deposita aqua, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, et resumere a verbis consecrationis sanguinis: si vero hoc perceperit

1. Miss. Rom., ibid., nn. 4, seqq.

post sumptionem corporis, aliam hostiam apponere debet, iterum consecrandam simul cum sanguine; quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi: si vero inciperet a consecratione sanguinis, et repeteret omnia verba consequentia, non competeret, nisi adesset hostia consecrata; cum in verbis illis occurrant quaedam dicenda, et fienda, non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et debet in fine iterum sumere hostiam consecratam et sanguinem, non obstante etiam si prius sumpserit aquam, quae erat in calice; quia praeceptum de perfectione, vel de perceptione huius sacramenti maioris est ponderis, quam praeceptum, quod sacramentum a ieiunis sumatur [1].

8. — **Quaestio III.** — *Quid faciendum, si musca vel aranea in calicem ceciderit, aut sacerdos deprehenderit venenum in illum fuisse immissum?*

Resp. Si adverterit sacerdos ante consecrationem muscam vel araneam in calicem cecidisse, calicem ipsum debet effundere, et illo abluto, aliud vinum denuo ponere consecrandum; si vero aliquid horum post consecrationem acciderit et fiat nausea sacerdoti, debet animal caute capi et diligenter lavari cum vino, et comburi, et ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si tamen non fuerit sacerdoti nausea, nec ullum timeat periculum, sumat cum sanguine.

Si vero aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod vomitum provocaret, nullo modo debet sacerdos sumere, ne calix vitae vertatur in mortem; sed vinum consecratum reponendum est in alio calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum, ne sacrificium imperfectum remaneat; finita autem missa, sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu servetur, donec

1. 3, Quaest. LXXXIII, art. 6, ad 4m, ad litt. Cf. Miss. Rom. IV.

species vini fuerint desiccatae; et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium proiiciatur [1].

9. — Quaestio IV. — *Quid faciendum, si sacerdos non recordetur se dixisse aliqua eorum quae dicere debuit?*

Resp. Sacerdos non debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recolit omnia, quae dixit: nisi forte aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione iam dicti: sic enim aliquid efficitur memorabile; unde si aliquis attente cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum postea recolit se dixisse: sic enim fit aliquid obiectum memoriae, inquantum accipitur sub ratione praeteriti. Si tamen sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate sacramenti, non existimo quod propter hoc debeat resumere, immutando ordinem sacrificii, sed debet ulterius procedere: si vero certificetur se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate sacramenti, scilicet formam consecrationis, cum forma consecrationis sit de necessitate sacramenti, sicut et materia, idem videtur faciendum, quod dictum est in defectu materiae, ut scilicet resumatur a forma consecrationis, et caetera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo sacrificii [2].

10. — Quaestio V. — *Quid faciendum sacerdoti, si inter celebrandum recolat se aliquid comedisse aut bibisse, aut mortali peccato, vel etiam excommunicationi subiacere?*

Resp. Si sacerdos post consecrationem incoeptam, recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium et sumere sacramentum. Similiter si recordetur se peccatum aliquod commisisse,

1. Ad 3m. Miss. Rom., de defect., etc., n. X. — 2. 3, Q. LXXXIII, art. 6, ad 5m, ad litt.

debet poenitere cum proposito confitendi et satisfaciendi, et sic non indigne, sed fructuose sumet sacramentum: et eadem ratio est, si meminerit se excommunicationi cuicumque subiacere; debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi: et sic per invisibilem Pontificem Iesum Christum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum, quod peragat divina mysteria: si vero ante consecrationem, alicuius praedictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod missam incoeptam desereret, nisi grave scandalum timeretur [1].

11. — Quaestio VI. — *Quid faciendum, si contingat sanguinem post consecrationem effundi, vel hostiam consecratam relabi in calicem?*

Resp. Si nihil omnino de sanguine in calice remanserit, ponat sacerdos iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco: *Simili modo postquam caenatum est,* facta prius tamen calicis oblatione; si vero aliquid vel parum remanserit, illud sumatur, et effuso reliquo sanguine, provideatur prout praescribit rubrica [2].

Si vero hostia consecrata in calicem fuerit delapsa, nihil propterea est reiterandum, sed sacerdos missam prosequatur, faciendo caeremonias et signa consueta cum residua parte hostiae, quae non est madefacta sanguine, si commode potest; si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, et sumat pariter corpus et sanguinem, signans se cum calice, dicens: *Corpus et sanguis Domini nostri,* etc. [3]. Huius autem ratio est quia fractio hostiae consecratae, et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio, quae significat populum; et ideo horum praetermissio non facit imperfectionem sacrificii,

1. Ibid., ad 2m, pariter ad litt. — 2. Miss. Rom., de Defectibus, etc., n. XI, 12. — 3. Ibid., 10.

ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti [1].

12. — Quaestio VII. — *Quid faciendum, si contingat sacerdotem celebrantem mori aut ita infirmari, ut missam perficere nequeat?*

Resp. Si sacerdos morte aut infirmitate gravi occupetur ante consecrationem corporis et sanguinis Domini, non oportet ut per alium suppleatur, etiamsi ille dimidiam formam protulisset; si vero incoepta consecratione, hoc acciderit, puta consecrato corpore ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato utroque, debet missae celebritas per alium suppleri [2], in casu autem necessitatis, etiam per sacerdotem non ieiunum. Quod si ille obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter super eumdem calicem repetat integram formam, ab eo loco: *Simili modo, postquam caenatum est.* Posset etiam super alium calicem praeparatum integram formam proferre, et hostiam primi sacerdotis, et sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum. Si autem prior sacerdos non obierit, si fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia hostia consecrata, sacerdos qui missam supplet, dividat hostiam, et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat [3].

13. — Scholion. — Quanta cura sacerdoti invigilandum sit, ut sacramentum hoc debite tractetur, ex multis hac super re Ecclesiae praescriptionibus evidenter apparet [4], necnon ex pluribus canonibus poenitentialibus, qui-

1. Ad 6m. — 2. 3, Quaest. LXXXIII, art. 6, ad 1m. — 3. Miss. Rom., de Defectibus, etc.; X, 3. — 4. Novellensem sacerdotem, antequam ad altare conscendat, perlegere oportet quae in citato loco Missalis Romani exponuntur, de casibus qui inter celebrandum occurrere possunt.

bus congruae poenae negligentibus decernuntur [1]. Quapropter illum semper oportet ob oculos habere verba Innocentii VIII [2]: *Si quid est in rebus humanis plane divinum, quod nobis superni cives, si in eos invidia caderet, invidere possent, id certe est sacrosanctum missae sacrificium, cuius beneficio fit ut homines quadam anticipatione possideant in terris caelum, dum ante oculos habent et manibus contrectant ipsum caeli terraeque Conditorem. Quo magis est mortalibus celebrandum, ut hoc tantum privilegium cultu atque honore debito tueantur, caveantque angelos negligentiae osores, qui sunt aemuli venerationis.*

ARTICULUS VIII. — *Utrum missae, quae privatae dicuntur, licite celebrentur.*

1. — Nulla missa proprie est privata. — Imprimis notandum est quod, si rei veritas inspiciatur, nullae sunt missae omnino privatae, ut significat Concilium Tridentinum [3]; nam missae omnes a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur; praeterea, in omnibus missis communicare, saltem spiritualiter, possunt fideles; denique omnes missae celebrantur in gratiarum actionem pro morte Christi, quod est commune beneficium [4].

2. — Qua ratione missa dici possit privata. — Igitur si qua missa privata dicitur, haec est impropria locutio: privata autem missa multipliciter potest sic nominari: primo, ratione *loci,* quia in oratorio privato celebratur; secundo, ratione *altaris,* quia non in altari principe, sed

1. Plures huiusmodi canones refert Angelicus Doctor, 3, Quaest. LXXXIII, art. 6, ad 7m. — 2. 2 Sept., 1634. — 3. Sess. XXII, cap. 6. — 4. Fr. Sylvius, in 3 Quaest. LXXXIII, art. 5.

in minori altari dicitur; tertio, ratione *temporis*, quia non solemnibus, sed profestis diebus; quarto, ratione *finis*, quia pro una persona specialiter, vel pro particulari negotio; quinto, ratione *adsistentium*, quia non coram toto populo; sexto demum, ratione *communionis*, quia solus sacerdos in ea communicat. — Porro, sciendum est Novatores eatenus privatas missas condemnasse, quatenus existimarent missam, cui nemo adstaret, vel in qua adstantes sive sacramentaliter, sive spiritualiter non communicarent, esse reprobandam: quam sententiam patres pseudo-synodi Pistoriensis suscepisse atque defendisse, ut moris est, perhibentur[1]. — Contra quos, sit

3. — PROP. — **Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, licitae prorsus sunt.**

Haec propositio ad fidem pertinet, dicente Concilio Tridentino[2]: *Si quis dixerit missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, A. S.* Quam doctrinam exponens idem Concilium ait[3]: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat; siquidem illae quoque missae vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.*

Ne quis autem censeat, spiritualem saltem populi communionem necessariam esse, prae oculis habenda sunt

1. Prop. 28ª. — 2. Sess. XXII, can. 8. — 3. Ibid., cap. 6.

verba Pii VI[1], quibus tamquam falsam, erroneam, de haeresi suspectam et haeresim sapientem reprobat sententiam qua insinuatur, *ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur, sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant ; et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet.*

4. — **Traditio.** — Traditionis argumenta, etsi forsan non explicita, implicita tamen non desunt. Imprimis, adverti potest, nec Christum, nec Apostolos, nec ullum generale Concilium, utcumque prohibuisse ne missa fieret vel in oratoriis privatis, vel diebus ferialibus, vel ubi nullus fidelium communicare intendat; sed semper licitum fuit missam celebrare in locis ab episcopis designatis, nec unquam lex communicandi pro fidelibus statuta est, licet interdum Ecclesia vetuerit ne solus presbyter missam celebrare praesumeret. Accedit quod in Concilio Agathensi[2] permittitur oratorium, ut in eo missa fiat extra maiores solemnitates[3]; praeterea; nihil aliud laicis iubetur[4], nisi ut in Natali Domini, in Paschate et Pentecoste communicent, et ut missas die dominico totas audiant[5], cum aliunde notum sit eo tempore frequentius sacerdotes celebrare consuevisse, etiam in locis ubi communicantes dari non possent, verbi gratia tempore persecutionum[6].

Idipsum ex testimonio plurium Patrum potest comprobari, puta S. Ioannis Chrysostomi, dicentis[7]: *Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari ; nemo est qui participet.* Quibus verbis, S. Pater non reprobat huiusmodi missas tamquam inutiles, secus ab

1. Const. *Auctorem fidei*, ad prop. 28am Syn. Pist. — 2. A. D. 506. — 3. Can. 14. — 4. Can. 18. — 5. Can. 31. — 6. Cf. Bellarmin., de Euchar., l. VI, c. 9. — 7. Homil. III in Epist. ad Ephes., n. 4.

eis celebrandis destitisset, quod non fecit; sed socordiam eorum reprehendit, qui se indignos communione dicentes, eidem accedere renuebant, quos etiam indignos dicit qui ceteris orantibus adsint. Igitur oratorio more frustraneum conclamat sacrificium, utique ex parte tantum, de quo nullus fidelium fit particeps: ex quo clare deducitur, sacerdotes tunc temporis a sacrificando minime abstinuisse, vel quando communicantes deessent. Sanctum quoque Gregorium Nazianzenum in parvo oratorio celebrasse, refert Socrates, nulla de aliorum communione facta mentione [1]. Denique S. Augustinus narrat sacrificium in domo rustica oblatum fuisse, quae hoc modo a daemonum vexatione liberata est [2].

Huc quoque pertinet vetustissima consuetudo ordinandi presbyteros, eos quoque quibus nulla animarum cura incumberet, qui proinde celebrare poterant, nec tamen obligati erant populum fidelem communicare. Praeterea, facultas primitus sacerdotibus concessa fuit tres missas in solemnitate Nativitatis Domini celebrandi: quibus certe nemo dixerit populum semper adfuisse.

5. — **Ratio theol.** — Ex traditis in hoc tractatu eruitur, in Eucharistia non solum sacramentum contineri, sed etiam verum Deo sacrificium offerri. Atqui, licet sacramenti usus vel applicatio minime habeatur, nisi a fidelibus suscipiatur, e contra stat sacrificii ratio, etiamsi pauci vel nulli intersint vel communicent, cum sacrificium, finem suum, sive qua latreuticum, aut eucharisticum, sive qua propitiatorium, aut impetratorium, assequi possit, citra populi praesentiam vel communionem, solo sacerdote illud pro populo rite offerente. Quocirca, dictum est etiam missae sacrificium offerri posse pro absentibus, sive vivis, sive defunctis.

1. Hist. tripart., l. IX, cap. 8. — 2. L. XXII de Civ. Dei, cap. 8, n. 6, t. VII, col. 666.

6. — Solvuntur difficultates. — I. Ex Sacra Scriptura. — α) Cum Christus dixerit: [1] *Hoc facite in meam commemorationem*, iussit ut faciamus quod ipsemet fecit. Ipse autem, quando Eucharistiam consecravit, illam etiam distribuit. Ergo quicumque sacerdotes consecrant, debent etiam distribuere.

Resp. *Nego conseq.* — Non quidquid Christus praestitit in institutione Eucharistiae, hoc fieri praecepit; alioquin, ait Sylvius [2], nonnisi sub noctem, post caenam, praesentibus duodecim, exclusis mulieribus, esset celebranda; sed sic instituit, ut sacerdos consecrans de hoc mysterio participet; si qui vero fidelium praesentes sint et petant, illis distribuat.

β) In Scriptura Eucharistia exhibetur tamquam *communicatio fractionis panis* [3], vel *participatio corporis Domini* [4]. Ergo ad sacrificii essentiam pertinet ut populus participet de victima.

Resp. *Nego iterum conseq.* — Ex adductis verbis, perperam quis inferret, adstantium communionem ad sacrificii essentiam pertinere; sed sibivult Apostolus populum, ex quo communicat, unum et idem Christi corpus, unum et eumdem eius sanguinem accipere. Ceterum fideles actu communicantes uberiores ex sacrificio fructus utique percipiunt, licet sacrificium secundum se absque praedicta communione subsistat. Denique, notetur, phrasin paulinam satis etiam salvari in eo quod solus sacerdos communicat.

γ) S. Paulus scribit: [5] *Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam caenam manducare: unusquisque enim suam caenam praesumit ad manducandum:* quibus verbis privatam caenam opponit caenae dominicae; ita ut ubi quis privatim manducet id quod ad caenam dominicam pertinet, ibi ipsa caena dominica vere esse nequeat.

1. Luc., XXII, 19. — 2. In 3, Quaest. LXXXIII, art. 5. — 3. Act., II, 42. — 4. 1 Cor., X, 16. — 5. 1 Cor., XI, 20, 21.

Resp.. Per privatam caenam, S. Paulus hic non intelligit celebrationem aut receptionem sanctissimae Eucharistiae, sed quoddam convivium, quod apud Corinthios ex abusu introductum fuerat: quod quidem convivium, privatim a divitibus factum, pauperibus exclusis, cum receptionem sanctissimae Eucharistiae, ob fractum ieiunium, impediret, propterea reprobatur [1]. Ceterum quod in privato illo convivio Eucharistia non celebraretur, patet ex hoc quod, cum Eucharistia a ministris Ecclesiae distribui soleret omnibus indifferenter, sive divitibus, sive pauperibus, hinc accidere non poterat quod unus alium excluderet, dives pauperem.

7. — II. **Ex Liturgia.** — In Canone missae legitur: *Ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinen sumpserimus*, etc.; et rursus: *Haec commixtio... fiat accipientibus nobis in vitam aeternam.* Ergo populus debet de necessitate participare de sacrificio eucharistico per susceptionem corporis Christi.

Resp. Imprimis dici potest, pluralem numerum hic poni pro singulari, sicut in oratione dominica instruimur pluraliter loqui, etsi orans sit solus. Sed praeterea, sicut plures olim communicabant, sic etiam hodie plerumque plures e christifidelibus communicare solent, saltem spiritualiter; aliunde sacerdos semper paratus esse debet legitime petentibus distribuere. Praecipue vero advertendum est, semper aliquos communicare, etiam sacramentaliter, scilicet absentes, qui cum ad unum Ecclesiae corpus pertineant, citatis verbis intelliguntur comprehensi.

8. — III. **Ex Patribus.** — α) S. Ignatius scribit: [2] *Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemad-*

1. Cf. quae diximus in tr. DE SS.MA EUCHARISTIA, p. 448, seqq. — 2. Epist. ad Smyrnaeos, 8. Enchir. Kirch., n. 15.

modum, ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia. Ergo.

Resp. S. Ignatius illos reprehendit, qui absque episcopi auctoritate et consensu, conventus agunt, vel sacra mysteria celebrant, ut haereticis et schismaticis est in more; unde mox post citata verba addit: *Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare;* et antea dixerat: *Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant,* μηδεὶς χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν.

β) S. Basilius ait:[1] *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium, assumpto mecum universo populo.* Ergo.

Resp. Uti ex contextu patet, S. Basilius opponit publicum sacrificium latebris haereticorum, qui se ab Ecclesia separantes, conventicula faciunt. At qui in oratoriis privatis celebrat, modo persistat in unitate Ecclesiae, in latebris non sacrificat, sed pro tota Ecclesia, cuius est membrum[2]. In hoc quoque sensu, unicum agnoscit S. Hieronymus in Ecclesia altare[3]: scilicet, ad distinctionem haereticorum, qui, ut ipse addit, *tot habent altaria, quot schismata.*

γ) S. Augustinus affirmat, non posse rite offerri, nisi ab eis, pro quibus offertur, accipiatur quod offertur[4]. Ergo.

Resp. S. Augustinus vult sacrificium sumi vel ab omnibus, vel saltem ab aliquo eorum pro quibus offertur; quod, ait Sylvius[5], inviolabiliter servat Ecclesia, in qua celebrans hostiam pro se et populo oblatam semper sumit.

1. In Ps. CXV in fin. Opp. Paris., 1638, t. I, p. 275. — 2. Cf. Fr. Sylvius, loc. cit. — 3. Expos. in c. 3 Amos. V, 14 et 15, lib. I, in fin. Venetiis, 1768, t. VI, p. 262. — 4. L. IV de Trin., c. 14. t. VIII, col. 823. — 5. Loco cit.

EPILOGUS.

Pauca haec sunt atque imparia nimis, quae de augustissimo eucharistico sacrificio hucusque disseruimus, quibus confidimus viva lectoris fide atque devotione suppletum iri. Re quidem vera, quo viridior atque purior lucet in hominis mente fides erga hoc insigne mysterium, eo simul plura adinvenit in eodem mirabilia a divina omnipotentia in bonum hominum ordinata, eo quoque ardentior in eius corde accenditur devotionis flamma, erga tam insigne divinae charitatis pignus. Oh! det nobis Deus semper crescere in cognitione et amore tam eximii mysterii, det nobis ascensiones in corde quotidie ponere, ut numquam nisi digne, attente atque devote rem sacram ad altare perficiamus, et ex hac consecratione atque participatione corporis et sanguinis Christi, spiritus percipiamus pinguedinem, atque in auribus cordis nostri semper resonent verba illa quae Episcopus noviter ordinatis solemniter dirigit: *Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis: quatenus mortis dominicae celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis* [1].

Desinam eximia referens verba exstatici Doctoris Dionysii Cartusiani, quibus sacerdotem urget ut sancte ac devote tremenda haec mysteria peragat. *Non sufficit,* ait [2], *Omnipotenti laus et honoratio oris, nisi ex sinceritate et devotione prodeat mentis, virtuosisque actibus decoretur. Si igitur, o sacerdos, sapienter attendas quanta sit huius excellentia, sanctitas ac dignitas sacramenti, confestim fateberis te non posse cor tuum sufficienter ad eius susceptionem disponere, neque pro suscepta*

1. Pontif. Rom., de Ordin. Presbyt. — 2. De Sacram. altaris et Missae celebratione. Dialogus. art. 15. Tornaci, 1908, Vol. 35, Opp. minora, t. III, p. 402.

communione satis posse regratiari, etiam si mille vixeris annis, et die ac nocte sine interruptione ac cessatione totis viribus te praepares ad celebrandum, et gratias agas pro susceptione ac collatione muneris tanti. Quid itaque restat, nisi ut omne quod tibi in his possibile est facias, et tamen nihil condignum fecisse te recognoscas per respectum ad incomparabilem excellentiam sacramenti?... Quum ergo quotidie aut frequenter sis celebrans, oportet te indesinenter, omni hora, die ac nocte, esse sollicitum, providum ac ferventem, ne quid culpae inveniatur in te per quam indignus aut minus dignus ad celebrandum existas, aut ingratus seu minus gratus de beneficiis tantis. Erubesce, mente non pura, frigido corde, sine reverentia, sanctitate et fervore ad Sanctum Sanctorum accedere, fonti infinitae munditiae te unire, Unigenitum Dei suscipere, Deum ac iudicem tuum sine debita veneratione tractare: imo, quo frequentius celebras, eo devotius magisque timorate, reverenter et amorose habere te satage. Iugiter ergo dic tibi ipsi in corde tuo: Ecce hodie aut in brevi Deo celebrabis propitio, aut celebrasti: ubi est praeparatio et gratiarum actio tua? ubi profectus et fructus tanti mysterii? Noli hospitem tantum offendere; noli tam infinitae bonitati, charitati, dignationi, misericordiae et beneficentiae eius ingratus consistere.

LAUS DEO ET DEIPARAE.

INDEX
QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

TRACTATUS DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

Pars II.

DE SACROSANCTO SACRIFICIO EUCHARISTICO

QUAESTIO PRIMA

(2 2ae QUAEST. LXXXV)

De Sacrificio in genere.

QUAESTIO SECUNDA

De veritate sacrificii Eucharistici.

QUAESTIO TERTIA

De effectibus sacrificii eucharistici.

QUAESTIO QUARTA

De iis pro quibus sacrificium missae offerri possit.

QUAESTIO QUINTA

De ritu sacrificii eucharistici.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Patriarcha Const., Vicesg.

